7194

DE EO
QUO CICERO IN EPISTOLIS USUS EST,
SERMONE.

SCRIPSIT

AUGUSTUS STINNER,

PHIL. DOCTOR.

OPPELN.

VERLAG VON EUGEN FRANCK.

1879.

Oppolii ex Officina Erdmanni Raabe.

De eo, quo Cicero in epistolis usus est, sermone.

I. De verborum delectu.

Quamquam de ea, qua Cicero in quoque genere librorum dictione usus sit, multa disputata sunt a viris doctissimis atque etiam ab iis in medium de hac re proferri nonnulla solent, quorum praeceptio puerilem maxime institutionem spectat, minime tamen ea, quae singularia fere in illius sermone licentiae nomine unis epistolis concessae notantur[1]), ab ullo ita aut collecta aut disposita esse reperias, ut quod alicuius esset momenti, scholarum disciplina inde repetere atque in suam rem convertere posset. Atqui sermo epistolarum earum, quas dixi, quum maxime differat ab ceteris Ciceronis dictionibus omnibus, tum is est per se ipse, unde facillime linguae Latinae cognitio percipi possit non ea sane, in qua magnificarum orationum haud contemnendus ille quidem suo loco splendor atque ornatus, aut philosophiae subtilior fere atque exquisitior doctrina miraque in disserendo explicatio[2]), aut

---

[1]) Heinichen, Lehrb. der Theorie des lat. Stils. § 12 (p. 19 et 20); § 15 (p. 40); § 16 (p. 48 et 49); § 59; § 107, C.; § 114 (p. 306, 307, 309). — Theorie des lat. Stils v. C. J. Grysar. Einl. S. 138; ib. 42. — Cf. Lehrb. des lat. Stils von Ferd. Hand; Erst. B. 4. Cap. § 16 (p. 55); 2. B., 2. C. § 6; ib. § 21, 23, 24 (p. 148); 3. Cap. § 13; 3. B., 4. Cap. § 13 (p. 432); 6. Cap. § 3 et § 7; — Wörterbuch der lat. Spr. v. Dr. Wilh. Freund s. v. Absque, Appingere, Assentiri, At, Balneum, Utique, al. — Prof. K. Reisigs Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. Herausgegeben mit Anmerkungen von Dr. Fr. Haase; § 36.

[2]) Accuratius de ea, quam Cicero ad philosophiam Latinis litteris illustrandam adhibuerit, oratione disseruit Raphael Kuehner in eo libro, qui inscriptus est: M. Tullii Ciceronis in philosophiam eiusque partes merita; part. alt. c. IV.

praeceptionis rhetoricae artificiosiores plerumque disputationes versentur, sed quae locutionis Latinae sinceram illam venustatem minimeque fucatum nitorem comprehendat, unde omnis debeat, si fieri possit, linguae scientia quasi ex ipso fonte hauriri.

Quam ob causam quum dudum mihi persuasum esset Ciceronianas epistolas, quae et copia eaedem ac varietate et gravitate[1]) rerum, quae deinceps iis tractantur, eminerent, ne scholarum quidem lectione excludendas, immo, quoad eius fieri posset, cuiusvis generis auxiliis suppeditandis ad eum ipsum usum accommodandas, quoniam ceteris subsidiis satis iam consultum videbam vel editionum commodarum curatione, paullo equidem accuratius de eo sermone statui exponere, qui illius generis proprius existimaretur. Qua opera si contigerit simul, ut afferam nonnulla, quae non

---

[1]) Klotzii verba (Cicero's sämmtliche Werke. In deutschen Uebertragungen, — herausgegeben von Reinhold Klotz. Erst. B. Vorrede S. IX), quibus vix quidquam potest de ea re dici elegantius, haec sunt: — Und in solcher Beziehung sind nun ferner auch die Mittheilungen, welche uns in Ciceros Briefsammlungen aufbehalten worden sind, so überaus schätzbare Urkunden des Alterthums. Sie lassen uns einen tieferen Blick thun in das Treiben und die Machinationen der römischen Politik, führen uns zu klarer Anschauung die diplomatischen Verhandlungen der Staatsmänner, die officiellen und vertraulichen Mittheilungen der Parteilenker, die Annäherungs- und Abstossungs-Punkte der verschiedenen Fraktionen vor Augen, zeigen uns die geheimsten Triebfedern, welche durch die römische Staatskunst in Bewegung gesetzt wurden und hinwiederum in Bewegung setzten, kurz stellen uns den Gang der Begebenheiten aus der wichtigsten Periode der römifchen Geschichte handelnd und dramatisch dar, so dass dem Geschichtsfreunde und Staatsmanne jene Urkunden nicht blos eine interessante und anziehende, sondern auch vielfach belehrende, des Studiums würdige Lectüre gewähren. Dabei enthalten aber jene Briefe, und namentlich die an Atticus gerichteten, die aufrichtigsten Ergüsse eines edlen Herzens, die herrlichsten Denkmale der treuesten Freundschaft, die sprechendsten Beweise der innigsten Liebe; sie zeigen uns überall das aufrichtige, wenn auch oft verkannte Streben ihres Verfassers nach intellectueller und moralischer Vervollkommnung, endlich die schönste Begeisterung, mit welcher der edle Römer bis zu seinem letzten Athemzuge die wankende Verfassung des Staates und die sinkende Freiheit des Vaterlandes aufrecht zu halten strebte. — Welche stilistische Vollkommenheit Cicero, wie allen seinen Schriften, so auch diesen Briefen verliehen, bedarf kaum der Erinnerung; für alle Zeiten werden seine Briefe als unübertroffene Mufter brieflicher Mittheilungen überhaupt dastehen.

displiceant iis, qui quum vel arte et praeceptis proprietatem atque elegantiam, vel thesauris vocabulorum omnem copiam linguae Latinae comprehenderent, breviter tamen hanc fere rem perstrinxerunt atque attigerunt, haud me poenitebit suscepisse quod quantae esset operae, vel ab initio nullo modo me potuit praeterire.

Una vero tantum eius disputationis pars quod nunc persequenda est visa, qua ageretur de generibus quibusdam verborum, quae vel unis in epistolis Cicero usurpasset, vel in librorum ceterorum scriptione non excepta dialogorum licentia multo rarius adhibuisset, ea simul necessitate velim excusatum, qua haec occasio scribendi terminata est.

Communis igitur, ut iam ad rem ipsam accedam, omnis generis epistolarum earum quidem, quae vere dicuntur epistolae nec specie tantum epistolarum artificiove hoc ipsum nomen invenerunt, usum vero adulterinum quendam, velut apud Romanos L. Annaei Senecae, prae se tulerunt, ea est consuetudo, ut sermone magis quotidiano in iis scribendis utamur, quam in libris aliis ullis, id quod ipsius Ciceronis his verbis ostenditur: Quid enim simile habet epistola aut iudicio aut concioni? Quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. Privatas causas et eas tenues agimus subtilius, capitis aut famae scilicet ornatius. Epistolas vero quotidianis verbis texere solemus[1]). — Iam exsistunt vero verba quotidiana maxime tum, quum mentis sensa consiliaque vel animi affectus, sive hilares sumus, dum scribimus, sive tristes, sive gaudemus, sive dolemus, sive placato sumus animo sive irato, sive, quae est humani ingenii agilitas, celeri vicissitudine varie nunc huc, nunc illuc impellimur, detegere velimus iis, quos nihil celare attineat, ut omni arte remota eum usurpemus sermonem, qui nihil spectet aliud, nisi, ut quibus intimo agitemur pectore, ea explicentur atque oratione ad ipsam rem accommodata exprimantur. Quo tamen si accesserit, id quod cadit in permultas Ciceronis epistolas, properandi quaedam necessitas[2]),

---

[1]) Ep. ad Fam. IX, 21. [2]) Cf. A. V, 14, 3; VI, 4, 3.

iam nihil consentaneum est in eo genere dicendi ornamentorum, nihil nimis elaborati adhiberi, sed iis tantummodo, quae tractentur, explicandis operam dari effundique etiam negligentius interdum ea cogitata vel sensa animi, quorum cursum stili quamvis eximia celeritas aegre aequet. Duo tamen genera epistolarum quum idem ipse Cicero scribat[1]) esse potissimum, quae se magnopere delectarint, unum familiare et iocosum, alterum severum et grave, in illud quidem licentiam locutionis etiam maiorem cadere facile apparet, eoque pertinent pleraeque epistolae Attico, Quinto fratri, Trebatio, Caelio aliisque familiaribus inscriptae; attamen sermonem si spectes universum, ne id quidem nimium interfuisse putes, utrum quid cum ipsis familiarissimis scriptor disertissimus, cuius facile cogitata ac sensa sequeretur ipsa locutio, communicaret, an cum minus familiaribus videri vellet communicare is, qui idem, quod nemo dubitat, animos tractandi artem, si quisquam, teneret. Quare si velis comprehendere, quae propria sunt illarum epistolarum sermonis vel iocose et familiariter, vel severe et graviter scriptarum, ea tantum ab hoc consilio secernenda dicas, quae ob rerum earum, de quibus ageretur, plane singularem vim ac naturam singularibus item verbis explicanda fuerint; velut si scriptor is, de quo agimus, in epistolis multa aut suis nominibus appellavit aut peculiari quadam significatione notavit, quum de valetudinis aliquo vitio, quum de victu et esculentis, quum de aedificiorum hortorumve descriptione ac partibus, quum de verborum obscoenorum et honestorum ratione ac discrimine sermocinaretur, nemo dixerit liberius illum esse sermonem conformatum, quam in ceteris libris ab eodem scriptis. An poterit tandem, quod in epistolis se lippire[2]) scripserit gravedinisque[3]) mentionem fecerit, aut quod fungos et helvellas et belam malvamque[4]) atque patinam tyrotarichi[5]) nuncupaverit, aut

---

[1]) F. II, 4. [2]) A. VII, 14, 1. [3]) A. X, 16, 6; XVI, 14, 4. [4]) F. VII, 26, 2. [5]) F. IX, 16, 7; A. XIV, 8, a, 1; XIV, 16, 1.

quod fastigia[1]) et balnearia[2]) et apodyterium et vaporarium et aviarium[3]), topiariam[4]) deinde et viridaria[5]) ac salientes[6]) memorarit, quod denique de āni et suppedendi[7]) vocibus similibusque disseruerit, Cicero a se ipse quodammodo in loquendo descivisse dici? Nihil enim profecto aliud hac re probatur, nisi posse in epistolis de omnibus rebus sermones conferri, quaecunque in hominum cum hominibus collocutiones ullo modo cadant.

Iam vero sermonis quidem per se liberiorem aliquanto consuetudinem sine dubio usus quarundam vocularum indicat, quae propter ipsam vim ac potestatem suam quotidiano loquendi mori adnumerare nemo dubitet, interiectiones dico non nimis illas quidem omnino usitatas: St![8]), sodes[9]), hui[10]), quarum priores semel, hanc aliquoties Ciceronis unae epistolae exhibent; atque addi his possunt quaedam antiquitatem redolentia, velut ast[11]) pro at vel absque[12]) pro sine et mi[13]) pro mihi, quod ad poeticam, vel etiam facteon[14]), quod ad singularem plane licentiam referri solet, quae omnia Ciceroni non fuisse nisi unis in epistolis probata etiam agnoscunt vulgo[15]). At ne haec quidem ea esse facile vides (sunt enim rariora etiam in ipsis epistolis), quibus universa consuetudo loquendi possit aut determinari, aut ab cetera dictione scriptoris eiusdem discerni, id quod hoc loco agitur. Transeundum igitur ad eam, quae frequentata totis generibus vocabulorum fuerit, proprietatem epistolarum, in qua re persequenda si eum potissimum ordinem secutus fuero, qui a scholarum consuetudine non

---

1) Q. III, 1, 4, 14. 2) Q. III, 1, 1; A. XIII, 29, 2. 3) Q. III, 1, 1. 4) Q. III, 1, 2, 5. 5) A. II, 3, 2. 6) Q. III, 1, 2, 3. 7) F. IX, 22. 8) F. XVI, 24, 2. 9) A. VII, 3, 11. 10) A. V, 11, 1; VI, 6, 3; XIII, 21, 5; ib. 35 et 36, 2. 11) A. I, 16, 17; III, 15, 6; VI, 5, 2; XVI, 6, 1, ubi adnot. Orell. non negligenda; cf. tamen Hand. Tursell. Vol. I, p. 417. 12) A. I, 19, 1. Cf. Prof. K. Reisigs Vorlesungen etc. § 138, adn. 264. 13) F. VII, 24, 2; IX, 15, 3; A. I, 8, 3; ib. 13, 5; XII, 52, 2; XIII, 40, 2; ib. 46, 4. 14) A. I, 16, 13. Cf. Lehrb. etc. von Ferd. Hand; 2. B. 2. C. § 23 (p. 147). 15) Cf. Lat. Grammat. von Dr. Ludwig Ramshorn; § 190 C. 4. — Lat. Schulgramm. von Wilhelm Weissenborn; § 87. Anm. 2. — Wörterb. der lat. Sprache von Dr. Wilhelm Freund s. v. At.

nimis abhorrere videbitur, eo, quo suscepi hanc operam, consilio excusatum illud fore spero.

Primum igitur, si a Graecorum vocabulorum usu discesseris, quibus quantopere Cicero delectatus sit in epistolis ita, ut ne veniae quidem petendae causa adderet, quae in ceteris scriptis solet, ut aiunt, quod vocant, quod appellant Graeci, et quae sunt generis eiusdem, satis inter omnes constat[1]), ab usurpandis ille nominibus quibusdam substantivis, quae cadunt in *o*, paullo minus abhorruisse in epistolarum genere, si quis quoquo modo vituperandus esset[2]), haec docent, haud multa quidem, ea tamen, quae nemo dubitet quin ad singularem loquendi licentiam referenda sint; *Combibo* (Zechbruder. F. IX, 25, 2)[3]); *salaco* (Prahler. F. VII, 24, 2; XVI, 18, 2); *tocullio*[4]) (Zinsmacher, Plusmacher. A. II, 1, 2)[5]).

Multo vero facilius, quam in ceteris libris, Cicero nominibus substantivis, quorum exitus est tor vel sor, in epistolis usus esse videtur. Ac sunt inter illa, quae afferri possunt, sane complura, quae alicuius vel negotii obeundi, vel rei agendae consuetudinem ac diuturnitatem studiumve simpliciter designant, quorum illo genere haec continentur: *Glutinator* (Zusammenleimer, Kleisterer, Buchbinder. A. IV, 4, b. 1), infector (Färber. F. II. 16, 7), olitor (F. XVI, 18, 2; ib. 20), structor (Q. II, 6, 2; A. XIV, 3, 1), unctor (F. VII, 24, 2), altero haec: *approbator* (A. XVI, 7, 2), assensor (F. VI, 21, 1), cessator (F. IX, 17, 3; Q. III, 5 et 6, 6; ib. 7), conductor (Q. III, 1, 2, 5; A. XII, 32, 2), *consponsor* (Mitbürge. F. VI, 18, 3; A. XII, 17), *convector* (A. X, 17, 1)[6]), desig-

---

[1]) Cf. Heinichen I. I. § 16. — Hand, Lehrb. etc. 1. B. 4. Cap. § 16, c. (p. 55); 2. B. 2. Cap. § 23, 15. — Antibarbarus der lat. Spr. von Dr. J. Ph. Krebs; p. 90 et 91 (edit. tert.). — Prof. K. Reisigs etc. Einl. § 36. [2]) Cf. Gramm. der lat. Spr. von Dr. G. T. A. Krüger; § 259, 1. [3]) Compotor eadem vi legitur Or. Phil. II, 17, 42; V, 8, 22. [4]) Litterarum formis *obliquis* quae insignita sunt, iis neminem praeter Ciceronem scriptorem ex probatiorum quidem numero usum esse significari volui. [5]) A. VII, 13, b. 5. *succones* (de Velia) Attici verbis similiter dicuntur.

[6]) Eadem vi legitur vector in Or. pro Sest. 20, 45.

nator (A. IV, 3, 2), *ioculator* (A. IV, 16, 3), lector (F. V, 12, 4)[1], *peregrinator* (F. VI, 18, 5); at ioco sine controversia vel indignationi, quae, quum recens scribentis animum excitaret, actio aliqua, velut inhaerescens homini macula ut notaretur, effecerit, haec debentur: Litigator (F. XII, 30, 1), *adiunctor* (A. VIII, 3, 3), aemulator (A. II, 1, 10), cavillator (A. I, 13, 2), *expilator* (Q. I, 1, 2, 9), pacificator (A. I, 13, 2; X, 1, 2; XV, 7), *propagator* (A. VIII, 3, 3), *traductor* (A. II, 9, 1). Accedit ad haec ex iis, quae generis feminini sunt, *corruptrix* (provincia. Q. I, 1, 6, 9)[2].

Adiungenda his ea sunt substantiva, quae in tio vel sio et tus vel sus (IV. declin.) et tas cadunt. Quamquam in iis omnibus scriptor magis universam illam, quam supra dixi epistolarum inprimis naturae convenire, brevissime tantum vel accuratissime ea, quae explicanda essent sermone, dicendi consuetudinem vel necessitatem, quam, si pauca exceperis, peculiare quoddam consilium secutus esse videtur. Sunt vero in hoc numero haec: *Aberratio* (F. XV, 18; A. XII, 38, 3), *abrogatio* (A. III, 23, 2), *apparitio* (F. XIII, 54; Q. I, 1, 4, 12), *assessio* (F. XI, 27, 4), asseveratio (A. XIII, 23, 3), commissio (ludorum. A. XV, 26, 1; XVI, 5, 1), *compilatio* (F. II, 8, 1), consalutatio (A. II, 18, 1), consurrectio (iudicum. A. I, 16, 4), *convictio* (Q. I, 1, 4, 12)[3], delegatio (A. XII, 3, 2), *devitatio* (A. XVI, 2, 4)[4], dignatio (A. X, 9, 2), *efflagitatio* (F. V, 19, 2)[5], *eiectio* (A. II, 18, 1), *erogatio* (A. XV, 2, 4), *impetratio* (A. XI, 22, 1), *impugnatio* (A. IV, 3, 3), *inhibitio* (remigum. A. XIII, 21, 3), *introductio* (A. I, 16, 5), *iocatio* (F. IX, 16, 7; A. II, 8, 1), negotiatio (F. VI, 8, 2; XIII, 66), *obiratio* (A. VI, 3, 7)[6], *pa-*

---

1) De Or. II, 55, 223, lectores alia certe vi dicuntur atque eadem, qua Or. pro A. Cluent. 51, 141. recitatores.

2) De toto genere illo cf. Naegelsb. 1. 1. § 47.

3) F. XVI, 21, 4. quae leguntur, filii Ciceronis verba sunt.

4) Vitatio legitur Or. Phil. III, 10, 24; De Fin. V, 7, 20.

5) Plancus eadem voce usus est F. X, 24, 6.

6) Cf. M. Tull. Cic. De Orat. libri tres. — Recens. — Frid.

cificatio (F. X, 27, 2; A. VII, 8, 4), *pellectio* (A. XIII, 1, 1), permissio (Q. III, 1, 3, 9), *prensatio* (A. I, 1, 1), *properatio* (J. V, 12, 2)[1]), *reductio* (F. I, 7, 4), *remigatio* (A. XIII, 21, 3), repraesentatio (F. XVI, 24, 1; A. XII, 31, 2; XIII, 29, 3), *ruminatio* (A. II, 12, 2), satisfactio (F. VII, 13, 1; A. IV, 6, 3), tentatio (A. X, 17, 2), *velificatio* (F. I, 9, 21)[2]); — *Invitatus* (F. VII, 5, 2), *involatus* (alitis. F. VI, 6, 7), *itus* (A. XV, 5, 3), *reflatus* (A. XII, 2, 1), *sponsus* (A. XII, 19, 2), suspiritus (A. I, 18, 3). — Agilitas (A. I, 17, 4), *curiositas* (A. II, 12, 2), edacitas (F. VII, 26, 1; Q. III 9, 9,), Latinitas (A. VII, 3, 10; XIV, 12, 1), *navitas* (F. X, 25, 1), peregrinitas (F. IX, 15, 2), *perspicacitas* (A. I, 18, 8), quo accedunt, quae omnium

---

Ellendt. Vol. II, p. 212, ubi alia quoque ex iis, quae nos tractavimus, nonnulla allata sunt.

1) Q. Ciceronis idem est F. XVI, 27, 1.

2) De toto genere cf. Naegelsb. 1. 1. § 48. — Non alienum videtur a proposito etiam ea breviter hoc loco afferre, quorum ex hoc genere numero plurali Cicero in epistolis tantum usus est. Pertinent vero huc: *Admurmurationes* (Q. II, 1, 3), *aestimationes* (i. e. praedia per aestimationem a debitoribus accepta. F. IX, 18, 4), *apparitiones* (i. e. apparitorum genus. Q. I, 1, 4, 12), *compellationes* (quotidianae. F. XII, 25, 2), *compotationes* (συμπόσια) et *concoenationes* (σύνδειπνα. F. IX, 24, 3), *convictiones* (i. e. homines convictione coniuncti cum aliquo. Cf. loc. supra laud. Consuetudines victus Or. pro Mil. 8, 21 rem significant ipsam), declamationes (F. VII, 33, 1), *desperationes* (eorum, qui senes erant. F. II, 16, 6), *existimationes* (ac iudicia. Q. I, 1, 15, 43), *expolitiones* (Q. III, 3, 1), expostulationes (cum absente Pompeio. Q. II, 1, 1), *impetrationes* (l. s. laud.), *introductiones* (adolescentulorum nobilium; l. s. laud.), *iocationes* (F. VIII, 16, 7), *migrationes* (verbo in alienum multae. F. XVI, 17, 1), *navigationes* (F. XIII, 68, 1; ib. 71), *obnuntiationes* (Q. III, 3, 2; A. IV, 16, 7); obtrectationes (F. I, 7, 7. Cf. F. V, 9, 1), *ostentationes* (multorum annorum. A. V, 13, 1), purgationes (F. XVI, 10, 1), *recordationes* (conscientiae. F. V, 13, 4; — A. XII, 18, 1), *tentationes* (sc. morbi. A. X, 17, 2), *iucunditates* (Beweise von Freundlichkeit, Gefälligkeiten. A. X, 8, 9), *tranquillitates* (sc. coeli et maris. A. VI, 8, 4; X, 18, 1), *urbanitates* (feine Stadtsitten. F. XVI, 21, 7), quo accedit ex alio genere: *Dementiae* (A. IX, 9, 8). Ad ea, quae Naegelsb. 1. 1. § 9 et Hand. (Lehrb. des lat. Stils) 1. 2., c. 2., § 29, 6. exhibent, ex iis, quae modo prolata sunt, accessionem adiungi posse haud inutilem discentibus facile perspicias.

liberrime iocatio quasi profudit; *Appietas* et *Lentulitas* (F. III, 7, 5)[1]).

Nomina tum deminutiva maxime esse quotidiani sermonis inter omnes satis constat. Minime mirum igitur, quod remissius illud magna ex parte et iocosum ac ludicrum vel etiam dicax et acerbum genus sermonis, quale Ciceronis permultae epistolae exhibent, hac inprimis verborum quasi festivitate ac varietate distinctum et frequentatum est. Accedit vero, ut familiaritas ipsa multa praebeat commemoranda, quae aut, quod minus sint vel grata vel proba, loquendo certe demitiganda, aut quod cara sint vel utrique vel alteri eorum, qui epistolarum inter se communicatione utantur, blanda oratione quasi fovenda videantur. Sunt igitur in hoc numero, quae quidem aut Ciceronis in ceteris libris praeter epistolas desideres, aut ab omni Romanorum usu seiuncta fuisse reperias, haec: *Ambulatiuncula* (F. II, 12, 2), assentatiuncula (F. V, 12, 6), *cerula* (A. XV, 14, 4; ib. XVI, 11, 1), *commotiuncula* (Unpässlichkeit. XII, 11), *deliciolae* (nostrae, Tulliola. A. I, 8, 3), febricula (A. VI, 9, 1; VII, 8, 2; XII, 1, 2)[2]), filiolus (A. I, 2, 1), litterulae (F. XVI, 10, 2; A. VII, 2, 8; XIV, 4, 2; XV, 4, 1; — F. XVI, 15, 2; A. VI, 9, 1)[3]), *memoriola* (A. XII, 1, 2), *nauseola* (A. XIV, 8, 2), ocelli (Italiae, villulae meae. A. XVI, 6, 2), *sedecula* (A. IV, 10, 1), villula (A. VIII, 9, 3; XVI, 6, 2), quo accedunt ex nominibus propriis: *Atticula* (A. VI, 5, 4) et *Tulliola* (A. I, 3, 3; ib. 8, 3; ib. 10, 6; VI, 9, 5; F. XIV, 4, 3; ib. 7, 1; ib. 2; XVI, 16, 1) et quod singulare est: *Fulviaster* (A. XII, 44, 4)[4]).

Reliqua, ex quibus ideo, quod aut modestius aut miserabilius de se ipse, qui scribit, loquitur, adhibita sunt haud pauca, haec sunt: *Actuariolum* (A.

---

[1]) Cf. Heinich. 1. 1. § 15 (p. 46). — Hand. 1. 1. 2. B. 2. Cap. § 18.

[2]) Idem Planco (F. X, 21, 7) debetur.

[3]) Semel praeter epistolas Or. Verr. IV, 43, 93. literulae minutae legitur de inscriptione.

[4]) Prof. K. Reisigs Vorlesungen etc. § 103. Antoniaster similiter dicitur Fragm. Or. Var. 8.

X, 11, 4; XVI, 3, 6; ib. 6, 1), *aedificatiuncula* (Q. III, 1, 2, 5), *ambulatiuncula* (A. XIII, 29, 2), animula (A. IX, 7, 1)[1]), *atriolum* (Q. III, 1, 1; A. I, 10, 3), auricula (Q. II, 15, 4; III, 4, 2), *captiunculae* (A. XV, 7), *chartula* (F. VII, 18, 2), *classicula* (A. XVI, 2, 4)[2]), *deversoriolum* (F. XII, 20; A. XIV, 8, 1), diecula (A. V, 21, 13), furcilla (A. XVI, 2, 4), *gloriola* (F. V, 12, 4; VII, 5, 3), *laureola* (F. II, 10, 2; A. V, 20, 4), *lectiunculae* (F. VII, 1, 1), *lintriculus* (A. X, 10, 5), litterulae (F. V, 21, 2; A. XII, 1, 1), *membranula* (A. IV, 4, b. 1), *negotiolum* (Q. III, 4, 6; A. XVI, 11, 8), *nervuli* (A. XVI, 16, C. 13), olusculum (A. VI, 1, 13), oppidulum (Q. II, 12, 2; A. X, 7, 1), *pagella* (F. II, 13, 3; XI, 25, 2), *paginula* (A. III, 8, b. 2), *plangunculae* (A. VI, 1, 25), plebecula (A. I, 16, 11; ib. XVI, 8, 2), *porticula* (F. VII, 23, 3), *possessiuncula* (A. XIII, 23, 3), *rauduscnlum* (Sümmchen. A. IV, 8, a. 1; VI, 8, 5; VII, 2, 7; XIV, 14, 5), *ripula* (A. XV, 16, B.), *rutula* (F. IX, 22, 3), *servula* (A. I, 12, 3), *simiolus* (F. VII, 2, 3), *sportella* (F. IX, 20, 2), *tectoriolum* (F. IX, 22, 3), villula (A. VIII, 13, 2; XII, 27, 1), *vindemiola* (n. plur. A. I, 10, 4), *vulticulus* (A. XIV, 20, 5)[3]).

Non minus autem licenter quum Cicero in epistolis potissimum ab adiectivis quibusdam deminutiva repetierit, ea huic ipsi substantivorum descriptioni subiungenda statui, ne quae vi ac potestate similia essent, loco dirimerentur. Ac magis id ipsum cavendum erat, quod ratio quoque huius generis usurpandi eadem fere exstiterat atque eorum, quae modo

---

[1]) Alia vi idem positum est a Sulpicio F. IV, 5, 4.

[2]) Conciuncula, quod A. II, 16, 1. positum est, idem De Or. I, 11, 46. legitur nec debuit a Freundio illi uni loco attribui.

[3]) *Cohorticulae* ab Caelio (F. VIII, 6, 4), ab eodem *otiolum* (ib. 3, 1), *copiolae* a Bruto (F. XI, 13, 2) in hoc genere novata sunt, quae quidem praeter cetera commemoranda duxerim. — Praecepit autem quamvis breviter, subtiliter tamen et exquisite de deminutivorum vi ac potestate Naegelsbach. l. l. § 42, quo loco etiam ex iis, quae supra allata sunt, nonnulla ille tractavit.

tractata sunt. Accedunt igitur ad hunc ipsum numerum: *Argutulus* (A. XIII, 18), *dextella* (Quintus filius Antonii. A. XIV, 20, 5), *hilarulus* (A. XVI, 11, 8), integellus (F. IX, 10, 2), *lentulus* (A. X, 11, 2), *ligneolus* (Q. III, 7, 2), *limatulus* (F. VII. 33, 2), longulus (A. XVI, 13, a. 2), *miniatulus* (A. XVI, 11, 1), misellus (A. III, 23, 5; F, XIV, 4, 3), *pulchellus* (F. VII, 23, 2) saepius illud quidem in Clodio Pulchro cavillando adhibitum (A. I, 16, 10; II, 1, 4; ib. 18, 3; ib. 22, 1), *rabiosulus* (F. VII, 16, 1), *refractariolus* (dicendi genus. A. II, 1, 3), *subturpiculus* (A. IV, 5, 1), *tenuiculus* (F. IX, 19, 1), quibus addenda quae comparantis sunt: Maiusculus (F. IX, 10, 3), minusculus (Q. III, 1, 4; A. XIV, 13, 5), *putidiusculus* (F. VII, 5, 3), adverbium denique meliuscule (F. XVI, 5, 1; A. IV, 6, 3).

Nominibus adiectivis, ad quae iam progrediendum est, non ita multis quidem Cicero, si ab nominibus propriis discesseris, quorum ingens scilicet multitudo orta est ex ipsa rerum hominumve commemorandorum paene infinita occasione, maluit in epistolis, quam in ceteris libris, locum dare. At quod quaedam ex eo potissimum genere illuc quasi detruserit, cuius vix dubium est quin facilis fuerit usus etiam in aliis dictionibus, vix potest nisi ei licentiae attribui, quae omnino epistolis vindicanda fuerit. Genera tamen vocabulorum inprimis quum visa sint afferenda, ex eo potissimum numero quaedam commemoranda sunt, ex quo perraro adhuc quotidianum sermonem hausisse verborum suorum copiam ac varietatem viri docti agnoverunt[1]). Extant autem in epistolis ex iis, quae cadunt in bilis: *Consolabilis* (F. IV, 3, 2), exitiabilis (A. X, 4, 3)[2]), exorabilis (Q. I, 1, 13, 39; ib. 2, 3, 8; A. I, 3, 3), inexplicabilis (A. VIII, 3, 6; X, 2, 2; XV, 4, 5; ib. 9, 2)[3]), irritabilis (A. I,

[1]) Cf. tamen Prof. K. Reisigs Vorlesungen etc. § 107, 4.

[2]) Pro eo exitialis dicitur Or. Verr. V, 6, 12; exitiosus Or. Cat. IV, 3, 6; De Leg. III, 18, 42.

[3]) Tusc. Disp. I, 30, 72, nunc legitur inexpiabiles. Inex-

17, 4), notabilis (F. V, 12, 5); quibus pauca addere liceat ex eo genere, cuius in osus est exitus: Aestuosus (A. V, 14, 1), *pannosus* (A. IV, 3, 5), ponderosus (A. II, 11, 1), et in ax: Fugax (F. X, 12, 5), *tagax* (a tangendo: der gern zugreift. A. VI, 3, 1), et in tus: Cretatus (A. II, 3, 1), *petasatus* (F. XV, 17, 1)[1]), mellitus (Cicero. A. I, 18, 1), denique quae in suo quodque genere singula reperiuntur; *Candidatorius* (A. I, 1, 2), *noctuabundus* (A. II, 1, 2), pulverulentus (A. V, 14, 1)[2]), *sanguinarius* (A. II, 7, 3)[3]). —

Adverbia, ad quae deinceps accedendum videtur, sine controversia plurimum valent ad ea, quae dicenda sunt, accuratius definienda atque circumscribenda, ut non facile possit fieri, quin, si quis non tam velit artificiose scribere, quam aut brevitati dicendi aut uni

---

plicabilis autem praeterea duobus tantum locis de philosophia libri exhibent (Acad. II, 59, 95; ib. 97).

1) Dotata (A. XIV, 13, 5) ex Attici verbis repetitum est.

2) In oratione numeris astricta idem legitur Arat. phaen. V, 259.

3) Ad ea, quae velis, quam accuratissime fieri possit, verbis exprimere, subtilius limanda sine controversia usus comparativi et superlativi plurimum valet. Facillime vero, qui animo commotiore paullo liberius effundit, si quid menti atque cogitationi occurrerit iucundi vel iniucundi, si quid probandum sit, vel improbandum, si suadendum vel dissuadendum, is scilicet auget vel quoquo modo determinat ac distinguit licentius multa nec solet curare nimis ne ea quidem, quae aut diligentior electio aut frequentior usus in verbis constanti quadam consuetudine probaverit et quasi confirmaverit. Atque ob eam potissimum causam factum videtur, ut in Ciceronis epistolis vel comparativi formae multae ac magna quidem ex parte ad superlativi vim circumlocutione exprimendam vel superlativi admitterentur eae, quibus aut ipse ceteris in libris aut reliqui simul scriptores omnes abstinuissent. Videntur autem (nam in hoc quidem genere facillime fallere quaedam etiam diligentius inquirentem potuerunt) huc referenda haec maxime: *Aequabilius* (A. V, 20, 1), *afflictior* (F. VI, 1, 6), *alsius* (Q. III, 1, 2, 5; A. IV, 8, 1), amarior (A. XIV, 21, 3), astutior (F. III, 8, 6), attentior (F. IX, 16, 7), benevolentior (F. III, 12, 4; ib. XIII, 60, 1), *contumeliosior* (A. XV, 4, 3), *conturbatior* (A. I, 12, 4), curiosior (F. IV, 13, 5), *deliberatius* (F. V, 2, 8), *desperatiora* (F. VI, 22, 1), districtior (Q. II, 16, 1), *exoptatius* (A. V, 15, 1), *explicatius* (A. IX, 7, 2), exploratior (A. XI, 6, 3; XVI, 2, 4; ib. 44), expressiora (F. I, 7, 9), honorificentius (Q. III, 2, 2; A. I, 16, 4), impotentior (F. IV, 9, 3), incautior (F. IX, 24, 1), *incommodior* (F. VII. 3, 5), *infantius* (Q. III, 4, 1), *infortunatius* (A. II,

intelligentiae ac mentis perceptioni consulere, in illo quoque genere eligendo orationis expolitionem paullo remissius curet.

Quod etiam Ciceroni in epistolis scribendis accidisse putes, ut id unum omnium maxime cavens, ne verba non responderent iis, quae vellet dicere, minime ex adverbiis, modo essent accommodata ad rem accurate definiendam, vel ea aspernaretur, quae minus

---

24, 4), *luculentior* (A. XII, 21, 1), *mansuetior* (F. I, 9, 23), *muscosius* (Q. III, 1, 2, 5), *obfirmatior* (A. I, 11, 1), obstinatior (A. I, 11, 1), occupatior (A. X, 6, 1. — Cael. eod. usus est F. VIII, 4, 3), *oculatior* (A. IV, 6, 3), perditius (Q. III, 9, 1; A. VIII, 11, 4; XI, 18, 2; XIV, 1, 1), *perturbatior* (F. VI, 5, 2; A. VI, 1, 1; VII, 13, a. 2; VIII, 3, 3; X, 14, 1. Perturbatiora De Div. II, 59, 122 unum accedit ad illum numerum), *pestilentior* (F. VII, 24, 1), placatior (A. XI, 21, 3), praesentior (F. I, 9, 2), prolixior (A. VI, 3, 5), *providentius* (F. III, 1, 1), quietior (A. VII, 17, 2), *restrictior* (F. III, 8, 8), *retractatius* (A. XVI, 3, 1), *spoliatius* (A. VI, 1, 4), *stomachosior* (F. III, 11, 5), sumptuosior (Q. III, 8, 6), tenerior (F. V, 21, 3), tractabilius (A. X, 11, 3), tumultuosiora (F. XII, 17, 1), verbosior (F. VII, 3, 6; A. VIII, 3, 6). — *Absurdissimus* (A. VII, 13, b. 6. Pro eo extra modum absurda De Or. III, 11, 41; valde a. ib. 18, 65; plane a. Or. part. 36, 127, in epistolis etiam ipsis ’*ατοπώτατόν* [A. XV, 26, 1] legitur), aversissimus (A. XI, 5, 4), benevolentissimus (F. V, 16, 6), cautissimus (A. XV, 13, 3), *commendatissimus* (F. II, 8, 3; XII, 26, 2; XIII, 10, 2; XIII, 64, 1), *compositissimus* (A. VI, 9, 1), *consociatissimus* (F. III, 3, 1), *distentissimus* (A. XV, 18, 2), *divulgatissimus* (F. X, 26, 2), *exoptatissimus* (A. IV, 1, 2), exspectatissimus (F. X, 5, 1; XVI, 9, 2; A. IV, 4, a), frigidissimus (Q. III, 3, 3. Pro eo maxime frig. est De Div. II, 10, 26), *gypsatissimus* (F. VII, 6, 1), honoratissimus (F. III, 10, 9), immitissimus (A. IX, 19, 2), *infidelissimus* (F. XV, 4, 14; IX, 1, 2), *malevolentissimus* (F. I, 7, 7; ib. 9, 17), observantissimus (Q. I, 2, 3, 11), *pestilentissimus* (F. V, 16, 4), *perspectissimus* (A. XI, 1, 1), *putissimus* (A. II, 9, 1), *timidissimus* (A. VII, 21, 1), turbidissimus (F. VI, 14, 3). — Graecas voces cur his maxime scriptor immiscuerit, item iis, quae supra dicta sunt, aliquam causam contineri putes. Afferri vero possunt multo quidem maximam partem ex epistolis Attico inscriptis haec: *’Ανεκτότερα, ἀσαφέστερος, ’Αττικώτερα, ἐνερευθέστερος, εὐγενέστερος, εὐκαιρότερον, γεροντικώτερον, ἐκτενέστερον, θετικώτερον, καινότερα, λογικώτερα, μετεωρότερον, μυστικώτερα, πολιτικώτερος, ῥᾳθυμότερα, σεμνότερος, φιλολογώτερα, φιλοστοργότερον. — ’Απολιτικώτατος, ἀπρακτότατος, ἀριστοκρατικώτατος, ἀστρατηγικώτατος, ἀτοπώτατος, ’Αττικώτατα* (praecedit *ὑπεραττικός*), *ἀφελέστατος, εὐλογώτατος, ἱστορικώτατος, παραδοξότατον, πολυγραφώτατος.*

placuissent, ubi diligentius ornanda esset oratio. Quare ab unis ille epistolis fere haec non seiunxit: *Amanter* (F. V, 19, 1; XII, 30, 3; A. I, 20, 2; II, 4, 1; XV, 10, 1), ambitiose (F. XIII, 69, 1; A. VII, 3, 2; XV, 1, B. 2), apparate (A. XIII, 52, 1), arcano (A. XVI, 3, 1), *assentatorie* (Q. II, 15, b. 3)[1]), *commodum — quum* (A. II, 12, 2; X, 16, 1; XIII, 9, 1; ib. 19, 1; ib. 30, 2)[2]), *desperanter* (A. XIV, 18, 3), *diuturne* (F. VI, 10, 5. Cf. Orell. ad h. l.)[3]), *ficte* (F. III, 12, 4; Q. I, 1, 4, 13), *furenter* (A. VI, 1, 12), *germane* (Q. II, 15, b. 2); illac (A. VII, 3, 5), *immortaliter* (gaudeo. Q. III, 1, 3, 9), *impendio* (A. X, 4, 9), incaute (A. VII, 10; XI, 9, 1), indiligenter (Q. III, 2, 3; A. XVI, 3, 2), *indiserte* (Q. II, 1, 3), *infirme* (animatos. F. XV, 1, 3), *inhumaniter* (Q. III, 1, 6, 21)[4]), *incuriose* (Q. I, 1, 7, 21), *invite* (A. VIII, 3, 4), istinc (F. I, 10; VI, 20, 3; A. I, 14, 4; II, 6, 2; VII, 21, 1); isto (F. IX, 16, 9; Q. III, 1, 3, 9)[5]), mendose (Q. III, 5 et 6, 6; A. I, 13, 5), *mire quam* (A. I, 11, 3)[6]), *mutue* (F. V, 2, 4; ib. 7, 2), naviter (F. V, 12, 3)[7]), optato (F. XIII, 28, 3), *perdite* (A. IX, 2, A. 2), perendie (F. XVI, 17, 2; A. XII, 44, 3; XIII, 30, 2), *placate* (F. VI, 1, 4), raptim (A. I, 20, 4; II. 9, 1), sceleste (A. VI, 1, 8), sincere (A. III, 15, 3), *susque deque* (A. XIV, 6, 1), *tecte* (A. I, 14, 4)[8]), *turbulenter* (F. II, 16, 7), *utique* (F. XVI, 24, 1; A. , 2, 3; , 4, a; ib. b. 2;

---

[1]) *Asseveranter* (A. XV, 19, 2) ex Statii epistola relatum est. Quamquam comparativo Cicero ipse usus est Acad. II, 19, 61. — *Citatim* (A. XIV, 20, 5) dubiae lectionis est.

[2]) De eo, quod similiter dictum est, commode — quum cf. Zumpt. ad Cic. Or. Verr. III, 25, 61.

[3]) *Falsum* scribere (A. VII, 14, 2), de quo conf. Haas. ad § 135 libri saepius a me laudati: Professor K. Reisigs etc. adnot. 250, habet quocum comparetur, Cic. Caton. 2, 4: falsum putare.

[4]) Inhumane De Off. III, 6, 30 et Or. Verr. I, 52, 138. legitur.

[5]) Istinc etiam Planc. F. X. 11, 2 et Cato (Cic. Cat. 14, 47) Sophoclis verba interpretans; isto Cael. F. VIII, 15, 2, scripsit.

[6]) Cf. Orell. ad h. l.

[7]) Idem tamen Fragm. ex Oecon. (Colum. l. XI. c. 1. § 15. 16) legitur. Cf. Orell. Cic. Op. Vol. IV, P. 2, p. 477.

[8]) Orat. 68, 228. nunc recte legitur.

V. 1, 2; ib. 9, 2 [bis]; V, 1, 24; X, 1, 3; ib. 11, 2; XII, 8; XII, 41, 3; X , 4, 2; ib. 13, 1; ib. 22, 4; ib. 48, 2; X I, 13, 5; XV, 20, 4; al.)[1]), *vulgariter* (F. X , 69)[2]).

---

[1]) In ceteris Ciceronis libris non reperi idem illud nisi his locis: De Div. II, 58, 119; De Rep. V, 3, 5; Fragm. Or. pro C. Cornel. I, 13.

[2]) A Graeca lingua hanc mutuatus est copiam: *αὐθωρεὶ, ἀφελῶς, ἀγοητεύτως, ἀδεῶς, ἀκεραίως, ἀκοινωνήτως, ἀκολακεύτως, ἀλόγως, ἀξιοπίστως, ἀποτόμως, ἀριστοκρατικῶς, γενικῶς. γεομετρικῶς, γλίσχρως, διαῤῥήδην, εὐκαίρως, εὐκόλως, εὐπινῶς, εὐστομάχως, ἡμερολεγδόν, λεληθότως, Ὁμηρικῶς, παροινικῶς, πεπινωμένως, πολιτικῶς, πραγματικῶς, συμπαθῶς, ὑπερβολικῶς, φιλαλήθως, φιλοσόφως, φιλοστόργως. φιλοφρόνως, ψιλῶς.* — Nec comparativi et superlativi multiplex licentia hoc loco silentio praetereunda est, quae cernitur in his: *Ambitiosius* (F. III, 7, 4), *coniunctius* (F. VI, 9, 1), *diuturnius* (F. IV, 13, 4), *exploratius* (F. VI, 1, 5; A. XIV, 14, 6), felicius (F. VII, 23, 2), ferocius (Q. II, 13, 2; A. VIII, 9, 2), fidelius F. XI, 21, 5), *fidentius* (A. VI, 1, 21. — Confidentius Or. pro Cael. 19, 44. legitur), gloriosius (A. II, 1, 6), *illustrius* (F. X, 19, 1), impensius (F. XIII, 64, 1), imprudentius (A. X, 12, 4), *iniucundius* (A. I, 20, 1), iocosius (F. IX, 24, 4), laxius (A. XIII, 14, 1; XV, 20, 4), *mediocrius* (A. I. 20, 5), *officiosius* (A. VI, 1, 22), patientius (F. I, 8, 4), *placatius* (F. VI, 13, 3), sagacius (A. VI, 4, 3), significantius (F. III, 12, 3), *stomachosius* (A. X, 5, 3), tectius (F. IX. 22, 2. Cf. Planc. F. X, 8, 5), *temperantius* (A. IX, 2, A, 2), *temperius* (F. IX, 16, 8), tumultuosius (A. XV, 17, 1), tutius (A. XI, 2, 3), verbosius (F. VII, 3, 5. Cf. Planc. F. X, 7, 1). — Asperrime (A. II, 22, 2), bellissime (F. XIV, 14, 1; XVI, 4, 3; ib. 9, 1; Q. II, 13, fin.; A. V, 10, 3. Unus ex Or. pro Mur. 12, 26, accedit locus, ubi idem illud exhibetur), *consideratissime* (A. IX, 10, 2), expeditissime (F. VI, 20, 2), fidelissime (F. II, 16, 4), *firmissime* (A. X, 14, 3), *gloriosissime* (A. XIV, 4, 2), honorificentissime (F. III, 9, 4; IV, 4, 3; VI, 6, 10; VII, 17, 2; XIII, 11, 2; XV, 13, 3; ib. 15, 1; ib. 31, 1; A. XIV, 13, B, 2; ib. 3. — Ex Or. pro P. Sext. 14, 32 unus addi potest locus), *humanissime* (F. II, 17, 6; ib. 19, 1; V, 20, 8; X, 5, 2; XIII, 6, 1; ib. 18, 1; ib. 75, 1; Q. II, 41; III, 1, 6, 20; A. 5, 1, 3; XIII, 9, 1; XIII, 43), *impurissime* (A. IX, 12, 2), *incommodissime* (A. V, 9, 1), *intime* (Q. I, 2, 2, 4), liberalissime (F. XIII, 11, 2; ib. 12, 2; ib. 31, 1; ib. 42, 1; ib. 72, 1; ib. 76, 2; A. V, 13, 2; VIII, 10; XII, 7, 1; XIII, 50, 5. — Unum praeterea locum suppeditat Or. Verr. V, 27, 20; XIV, 13, B, 3; XVI. 15, 5), *molestissime* (Q. I, 1, 1, 2), pudentissime (A. XVI, 15, 5), *seditiosissime* (A. II, 21, 5), *spurcissime* (A. XI, 13, 2), *suavissime* (F. III, 12, 2; XIII, 18, 1; A. XVI, 15, 6), *taeterrime* (A. VII, 12, 2; X, 12, 1), *tutissimo* (A. VIII, 1, 2. — Tutissime A. VIII, 11, A, scripsit Pompeius). — Graeca denique huc referenda sunt haec; *θυμικώτερον, πολιτικώτερον, φιλοσοφώτερον* et, quod omnium liberrime novatum est, *σηστιωδέστερον*. — *Ἀσμενέστατα, αὐτότατα, φιλοπροσηνέστατα.*

Verborum, quod genus tractandum restat, haud magnus quidem est numerus eorum, quae Cicero unis epistolis quasi reservavit; at praeteriri hoc loco, si minoris videantur momenti esse singularia quaedam velut: Averruncare[1]) (A. IX, 2, A. 1), *flaccere* (Q. II, 15, b, 4), flare (A. VII, 2, 1), palpare (A. V I, 9, 1), patrare (promissa. A. I, 14, 7)[2]), plorare (A. XV, 9, 1), sibilare (A. II, 19, 2), tinnire (A. XIV, 21, 4), vadere (A. IV, 10, 2; XIV, 11, 2)[3]), vapulare (A. II, 14, 1), aut quae aliqua certe formae cognatione inter se coniuncta sunt: Auxiliari (F. V, 4, 2)[4]), *fruticari* (A. XV, 4, 2), *muginari* (A. XVI, 12, 1), *pigrari* (A. XIV, 1, 2), *suppetiari* (A. XIV. 18, 2), *tricari* (A. XIV, 19, 4; XV, 13, 5)[5]) opperiri (A. III, 10, 1; X, 3)[6]), minime possunt *coenitare* (F. VII, 16, 2; IX, 7, 1; ib. 16, 7; ib. 24, 3) et itare (F. IX, 24, 2. Transitans eo A. V, 21, 5 accedit), quae, quamvis sint ex numero frequentativorum non nimis illorum quidem probatorum[7]), tamen mirere propter ipsam significationem non magis fuisse a Cicerone ceteris in libris frequentata neque haec, ut quorum usu eam, quam saepius significavimus, loquendi licentiam maxime ille prae se tulisse existimandus sit, ex eo, quod desiderativum vocant, genere: *Petiturire*

---

1) Cf. Heinich. 1. 1. § 13. — Hand, Lehrbuch etc. 2. B., 2. C. § 9 (p. 125).

2) Cf. Zumpt. ad Div. in Q. Caecil, 12, 38.

3) Tusc. Disp. I, 49, 97. idem verb. poeticae elationis aliquid habere videtur. De epistolarum locis supra allatis cf. Doederlin. Lat. Synon. etc. Vol. IV. p. 54.

4) Pro eo opitulari frequentissimum est in ceteris Ciceronis libris.

5) Cf. tamen Cic. Fragm. apud Colum. XI, c. 1. § 15. 16. (Orell. Cic. Op. Vol. IV. P. II. p. 477).

6) Quod assentio tribus tantum apud Ciceronem atque iis epistolarum locis (F. V, 2, 9; Q. II, 1, 2; IX, 5, 1) Freund. reperiri dicit, in eo falli videtur, siquidem praeter A. II, 1, 8. etiam De Invent. I, 17, 25. assensisse et De imp. Cn. Pomp. 16, 48. assenserint legitur. Nec de praesenti tantum tempore, quum illud adnotaret, virum doctissimum cogitasse duo priores ex iis, quos ipse attulit, locis docent. Melius igitur Klotzius (Handwörterb. S. 552): In dieser Activform in der class. Sprache in sparsamerem Gebrauche.

7) Cf. Freund. 1. 1. s. v. adiutare. Ipse verbum declamitandi excusat Cic. Brut. 90, 310.

(A. I, 14, 7), et quae etiam liberius novata sunt: *Proscripturire* et *sullaturire* (A. IX, 6, 10)[1]).

Jam quoniam reliquum est, ut de iunctis verbis explicandum sit, si qua non fuerint in ea enumeratione allata, quae superioribus continetur, ea vero copia, quae cadat in huius disputationis rationem, haud exigua est. Duo tamen maxime esse videntur, quae praeter eam licentiam, in qua substantiva quaedam versantur, velut: Incommoditas (A. I, 17, 7), *inconsiderantia* (Q. III, 9, 2),[2]) indiligentia (Q. I, 2, 2, 7), infrequentia (Q. III, 2, 2),[3]) *obviamitio* (A. XI, 16, 1; XIII, 50, 3), *Pseudocato* (A. I, 14, 6), *Pseudodamasippus* (F. VII, 23, 3), et adiectiva maxime haec: *Breviloquens* (A. VII, 20, 1), *levidensis* (F. IX, 12, 2),[4]) multiiugis (A. XIV, 9, 1), hoc loco inprimis commemoranda putes, praepositiones quasdam dico vel ad augendam vel ad minuendam vocabulorum vim multo frequentius in epistolis adhiberi solitas, quam in ceteris libris ab eodem scriptis.

Atque eam quidem consuetudinem in adiectivis praecipue et adverbiis atque in verbis, epistolas quum scriberet, Ciceroni probatam fuisse facile apparet, siquidem ad illud genus per et sub, ad hoc praeterea con, de, di, ex haud raro adhibitae esse reperiuntur. Praebent igitur magnam etiam partem ab aliis scriptoribus minime frequentata praeter cetera, quae ne ipse quidem Cicero in reliquis libris spreverit, epistolae ab eodem scriptae ex illo numero haec: *Peraccommodatus* (F. III, 5, 3), *peramans* (A. IV, 8, b, 3), *perbenevolus* (F. XIV, 4, 6), perblandus (Q. I, 2, 3, 8),[5]) *percautus* (Q. I, 1, 6, 18), *percupidus* (F. I, 7, 2), *perdignus* (F. XIII, 6, 4),

---

1) Cf. Heinich. Lehrb. etc. § 15. — Hand. Theorie etc. 2. B. 2. Cap. § 21.

2) Cf. M. Tull. Cic. de Or. lib. tres. Rec. — Fr. Ellendt. Vol. II. p. 211.

3) Pro invaletudine nunc legitur valetudine A. VII, 5, 1. Cf. tamen Reisigs Vorlesungen etc. § 160, adnot. 304. — Intemperies (A. IV, 6, 3) idem legitur De Rep. II, 37, 63.

4) Cf. Heinichen: Lehrb. etc. § 21.

5) Or. pro Rabir. Post. 8, 21. locus admodum dubius est. Cf. Orell. adnot. crit. ad h. I.

perdiligens (Q. III, 5 et 6, 6), *perfidelis* (A. II, 19, 5), *perhumanus* (F. XIII, 21, 1; Q. II, 6, 1; A. XVI, 12, 1), perillustris (A. V, 20, 1), perimbecillus (A. X, 18, 1), perinvitus (F. III, 9, 1), periratus (F. IX, 6, 3), perlibens (Q. II, 6, 6), *perluctuosus* (Q. III, 8, 5), *perodiosus* (A. X, 17, 2; XIII, 22, 4), *perpauper* (A. VI, 3, 5), perustus (F. XIII, 15, 2). — *Subdebilitatus* (A. XI, 5, 1), *subgrandis* (Q. III, 1, 1, 2), *subimpudens* (F. VII, 17, 1), *subinanis* (A. II, 17, 2), *submolestus* (A. XVI, 4, 4), *subodiosus* (A. I, 5, 4). — *Peramanter* (F. IX, 20, 3), *peramice* (A. XIV, 12, 2. Cf. Orell. adnot. ad h. l.), *perbelle* (F. XVI, 18, 1; A. IV, 4, b, 1), perbenigne (Q. II, 9, 2), *perexigue* (A. XVI, 1, 5), *perhonorifice* (A. XIV, 12, 2), *perhumaniter* (F. VII, 8, 1), *perincommode* (A. I, 17, 2), *permale* (A. I, 19, 2),[1] *perofficiose* (F. IX, 20, 3), *persalse* (Q. II, 15, 3), *pertumultuose* (F. XV, 4, 3), *pervesperi* (F. IX, 2, 1); — *subcontumeliose* (A. II, 7, 3), *submoleste* (A. V, 21, 1). — Accredere (A. VI, 2, 3), collocupletare (F. II, 13, 3),[2] commigrare (Q. II, 3, 7), *compromittere* (Q. II, 15, b, 4),[3] concerpere (A. X, 12, 2), condicere (F. I, 9, 20),[4] congelare (F. II, 13, 3), *consanescere* (F. IV, 6, 2), conscindere (F. VII, 18, 4; ib. 25, 1; A. II, 19, 3; VIII, 16, 1),[5] *consputare* (Q. II, 3, 2); — *demitigare* (A. I, 13, 3),[6] *dilaudare* (h. e. varie l., nach allen Seiten l. A. IV, 16, 8; VI, 2, 9; ib. 3, 3); — eblandiri (A. XVI, 16, C, 12),[7] effligere (A. IX, 19, 2),[8] elu-

---

[1]) Cf. Cic. Op. ed. Orell. Vol. IV. P. II. p. 597.

[2]) Eiusdem verbi usurpandi sine controversia his locis, ubi locupletare legitur, occasio fuit: Or. de l. agr. II, 26, 68; pro C. Rabir. Post. 2, 4; 17, 45; De Rep. II. 9, 15; ib. 24, 44; de Off. I, 14, 43.

[3]) Compromissum substantivi vi ac potestate usitatum fuisse constat.

[4]) De Off. III, 14, 58. promittere pro eo legitur.

[5]) Semel Or. Verr. III, 23, 56. conscissus dicitur.

[6]) In deruo (A. XVI, 11, 2) et detergeo (A. XIV, 10, 3) verbis alia vis est praepositionis.

[7]) Eblandita suffragia Or. pro Planc. (4, 10) passiva vi dicuntur.

[8]) Cf. M. Tull. Cic. De Or. libri tres, Rec. — Frid. Ellendt. Vol. II. p. 213.

gere (F. IX, 20, 3), emonere (F. I, 7, 9), exhilarare (F. IX, 26, 1). — *Pergaudere* (Q. III, 1, 3, 9), perplacere (A. III, 23, 4), pertaedet (Q. I, 2, 2, 4), pervincere (A. II, 1, 8); — *subdiffidere* (A. XV, 20, 2), *subdocere* (A. VIII, 4, 1),[1] *subdubitare* (F. II, 13, 2; A. XIV, 15, 2), *subinvidere* (F. VII, 10, 1), *subinvitare* (F. VII, 1, 6),[2] *subnegare* (F. VII, 19, 1), *suboffendere* (Q. II, 6, 5),[3] *subringi* (A. IV, 5, 2), *subvereri* (F, IV, 10, 1), suppoenitet (A. VII, 14, 1), *suppudet* (F. IX, 1, 2; XV, 16, 1).

Accedunt huc ea, quorum usu liberior quaedam translatio continetur, velut: Appingere (A. II, 8, 2),[4] *edolare* (A. XIII, 47, 1), excudere (A. XV, 27, 2), extricare (A. XV, 20, 4. — Cf. Vatin. F. V, 10, 1), cui generi propter unam quidem metaphorae similitudinem epistolis quodammodo reservatam adnumerandum videtur exarandi verbum (F. IX, 26, 1; XII, 20; A. XII, 1, 1; XIII, 38, 1; XV, 1, B, 1; XVI, 6, 4).[5]

Praeter illa vero, quae non dubium est quomodo familiaris ac iocosi maxime sermonis consuetudo frequentarit, ut quae delectetur leviore quadam vel intentione[6] vel minutione[7] eorum, quibus diligenter polita et ornata magis, quam subtiliter limata oratio uti solet, haec, in quibus re solenni significationis varietate cuiusque actionis designationem quasi convertit, epistolarum licentiae Cicero quodammodo concessit: Recogitare (Q. II, 2, 1), recolligere (A. I, 5,

[1]) Cf. M. Tull. Cic. De Or. libri tres. Rec. — Frid. Ellendt. Vol. II. p. 213.

[2]) Quodammodo invitare eadem vi positum legitur De Rep. I, 10, 15.

[3]) Suppedendi verbum F. IX, 22, 4. in parum honestis numeratur.

[4]) Agglutinare sc. prooemium (A. XVI, 6, 4), cui opponitur eodem loco desecare, verbum est artis proprium.

[5]) Cf. Antibarbarus von Krebs; p. 334.

[6]) Nostrates eodem consilio addunt: Gar, gehörig, recht, tüchtig, völlig, alia.

[7]) Nostri homines frequentant illa vi: Etwas, einigermassen, ein Bischen, beinahe, fast, so zu sagen, — in verbis etiam: möchte, könnte similiaque.

5), reconcinnare (Q. II. 6, 3), recrudescere (F. IV, 6, 2), regustare (A. IV, 17, 1; XIII, 13, 3; ib. 48, 2), relanguescere (A. XIII, 41, 1), renavigare (A. XIV, 16, 1), *repungere* (F. I, 9, 19), *restillare* (A. IX, 7, 1), retegere (A. IV, 7, 2),[1]) Etiam minor eorum est numerus, quae ob praepositum habent: *Obdurare* (A. XII, 3, 1), *oblanguescere* (F. XVI, 10, 2), obtendere (Q. 1, 5, 15), obturbare (A. XII, 16, fin.; ib. 18, 1), occalescere (A. II, 18, 2),[2]) vel ab: Abiungere (A. II, 1, 3), abiurare (A. I, 8, 3), vel circum: *Circumgestare* (Q. I, 1, 2, 6) et circumrodere (A. IV, 5, 1),[3]) vel in: Incursare (A. XII, 41, 2), infamare (F. IX, 12, 2), *involgare* (A. II, 1, 3), ad quae singularia denique haec accedunt: Intervisere (F. VII, 1, 5; Q. III, 1, 2, 6), praefulcire (A. V, 13, 3), praetergredi (F. III, 7, 4), transverberare (F. VII, 1, 3).[4])

Alia iam his, quae disputata sunt, addenda fuisse, tum vero multa pluribus explicanda, si vellem aliquo modo id pertractare, quod propositum erat, haud sane me fugit. At viam certe etiam iis, quae nunc breviter magis attingere, quam absolvere licuit, esse munitam spes est ad rem eam, quae tum maxime, quum tractaretur, et mole et difficultate crescere videretur, totam excutiendam ac persequendam.

Maxime vero id quum inter ipsum scribendum demum satis apparuerit, si quis in epistolarum praesertim familiariter scriptarum naturam sermonisque proprietatem vellet inquirere, inquirendum ei esse in ipsius eius, qui scripsisset, omnem animi indolem ac proprietatem, ut quam, si ullum scribendi genus, sermonum familiarium vel familiaritatem simulantium om-

---

[1]) Redamandi verbum Lael. 14, 49. positum etiam excusat Cicero, id quod probat, quam non temere quae minus usitata essent in illo genere, usurpaverit.

[2]) Agr. 2, 18. apud Freundium operae describentes deliquisse videntur.

[3]) Circumvallatum (A. IX, 12, 1) ex Leptae epistola repetitum videtur.

[4]) In oratione numeris vincta idem verbum legitur Tusc. II, 10, 23.

nis quasi habitus sequi atque exprimere soleret; hoc tamen iis quoque, quae ad universam illam quaestionem aditum duntaxat mihi patefacienti disputanda sunt visa, perspectum fuerit, Ciceroniana quidem esse dicenda, quae epistolae Ciceronis vel thesauris linguae Latinae vel arti et praeceptioni Latine scribendi praebeant, at ita Ciceroniana, ut propius abesse, si volueris comparare, permulta dicas ab Ennii poematis vel Plauti et Terentii[1]) fabulis Horatiive sermonibus epistolisque, quam ab ea, qua Cicero in ceteris fere libris dictione usus sit.

Part. II.

De vocabulorum consecutione.

Quum in verborum delectu multa Ciceronis epistolae suppeditent, quae in ceteris dictionibus vel evitata esse ab eodem illo vel multo minus frequentata viri docti fere agnoscunt,[2]) tum vero in vocabulorum consecutione, quam syntaxin vulgo dicunt, omnes facile, quicunque diligentius ac subtilius in sermonis Latini consuetudine omni ex parte illustranda versantur, etiam si qui institutionem maxime puerilem spectant,

---

[1]) Elegantiam sermonis in Terentii fabulis quantam agnoverit etiam ipse Cicero, satis quum aliis multis locis patet, tum A. VII, 3, 10. — De Plauto extat locus haud negligendus De Off. I, 29, 104. — Ad poetarum vero quorundam sermonem quomodo Ciceronis verba praecipue in epistolis haud raro accessisse putes, discere licet ex iis, quos saepius commemoravi, libris: Lehrb. der Theorie des lat. Stils. Von Fr. Ad. Heinichen; § 12, II; § 20; et: Lehrb. des lat. Stils von Ferd. Hand; 1. B., 4. Cap., § 16; 2. B., 2. Cap., § 20; ib. § 22. — Ex iis ipsis autem, quae in epistolis potissimum vel ab antiquioribus poetis mutuatus esse vel posterioribus ipse suppeditasse Cicero videretur, praecipua quidem notare quum initio visum esset, postea tamen in alteram illud huius scriptionis partem reiicere placuit, qua sine dubio etiam maior foret oblata eius comparationis et causa et opportunitas.

[2]) Conf. Libell. scholast. a Gymnas. Oppol. ed. a. MDCCCXXXXIX, p. 1.

plurima concedunt reperiri, quae non sint nisi in vulgari quodam ac familiari genere dicendi usurpari solita. Atque idem scilicet ea ipsa epistolarum potissimum mori ac proprietati, quales sunt omnium maxime Ciceronianae, plaereque quotidianis illae quidem verbis conscriptae[1]), vindicanda esse statuunt[2]). At tantum abest, ut universa illa, etiamsi ab iis discesseris, quae minoris facile dicas momenti esse, satis quisquam aut colligens aut in genera quaedam digerens ad scholarum disciplinam accomodaverit, ut ne singula quidam ab omnibus ea, qua par est, circumspectione atque cautione ad illustranda ea, que ubique de vocabulorum consecutione, qualis sit Latini sermonis, praecipiant, adhiberi videas[3]). Atque in eo genere

---

[1]) Privatas causas, et eas tenues, agimus subtilius; capitis aut famae scilicet ornatius; epistolas vero quotidianis verbis texere solemus. Cic. Epist. ad Fam. IX, 21, 1.

[2]) Conf. M. Tullii Ciceronis Laelius sive de amicitia dialogus. Mit einem Commentar etc. von Dr. Moritz Seyffert, ubi ad cap. 2, § 10. haec sunt adnotata: Habere in dem Sinne von scire, sibi persuadere, kommt nur im Imperativus, und zwar, wie scito, scitote, nur in der stärkeren Form desselben habeto (sic habeto, tantum habeto mit Accus. und Inf.) vor und gehört der familiären Sprache an, ist hauptsächlich also in Cicero's Briefen zu finden. — Lat. Sprachl. für Schulen. Von Dr. J. N. Madvig, § 209 b, Anm. 2; § 465, Anm. 5. — Lat. Sprachl. etc. von Dr. Ferd. Schultz, § 235, Anm. 4; § 303, Anm.; § 328, Anm. 8. — Gramm. der lat. Spr., von Dr. G. T. A. Krüger, § 289, Not. — Quo accedunt: Reisig's Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. Herausgeg. von Dr. Fr. Haase, § 225. 2. — M. Tullii Ciceronis scripta quae manserunt omnia. Recognovit Reinholdus Klotz. P. III, Vol. I. p. XVII.

[3]) Illa quidem «Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit», quae verba sunt repetita ex epistola quadam a Caelio ad Ciceronem scripta (Ep. ad Fam. VIII, 10, 3), pro Ciceronis exhibet Krueger. l. l. § 669, 1. Eadem Ferd. Schultz. l. l. § 463. Caelii quidem esse significat, at parum etiam is cavet, ne tirones *quam parum* indidem addiscant scribere, quamquam id quidem non magis est Ciceronianum, ne dicam Latinum, pro *quam non, quam nihil, quam,* de quo ipso conf. Orell. ad Cicer. Ep. ad Fam. XIII, 67, 1. (Non te enim fugit, qui plurimis in ista provincia benigne fecisti, quam multi [wie viele wohl, h. e. wie wenige] grati reperiantur), Seyffert. l. l. ad c. 3. init., Nipperdej, ad Cornel. Nep. Lysandr. c. 3, 5, quam *tam parum* pro *ita non, adeo non, usque eo non* (Or. pro Scaur. § 49. *tam parum* inter Car. Beieri supplementa est) et cetera eiusdem generis, quare Caelius quoque Ep. ad Fam. VIII, 10, 1. sic scripsisse existimandus est «Ego

quum eam suscepisse operam mihi videar, quae non inutilis sit futura ad linguae Latinae cognitionem praeceptionis grammaticae quamvis exigua accessione augendam, nunc quidem, ne quid eos fines, quibus haec scribendi occasio terminata est, egrediar, ex iis duntaxat praeceptis, quae pertinent ad syntaxis congruentiam vel convenientiam, quam solent dicere, quaedam epistolis Ciceronis cum cetera eiusdem locutione non fere communia afferre mihi propositum est.

Omnium igitur primum, illam partem praeceptionis grammaticae, quam significavi, si spectes, Ciceroni in epistolis potissimum eam probatam fuisse sermonis consuetudinem facile animadvertas, qua ad verbum *esse* ita refertur adverbium aliquod, ut hoc ipso attributum contineri videatur. Quod tamen ita se habet minime. Est enim totum illud genus ita comparatum, ut verbo *esse* ea sit vis ac potestas subiecta, quae eius est propria, qualis quidem ex his locis maxime elucet: Si hi dii non sunt, quia nusquam coluntur;

---

quidem praecipuum metum, quod ad te attinebat, habui, qui scirem, quam paratus ab exercitu esses, ne quod hic tumultus dignitati tuae periculum afferret», non «quam imparatus», quae Klotzio admodum probabilis coniectura videtur 1. 1. p. XXI. — Item Car. Ed. Putschius in Gramm. ling. Lat. mai. § 204, additam. 1. Pompeii verba, non Ciceronis, exhibet ex Ep. ad Att. VIII. 11. (Omissum est A, quo significandum certe fuit exemplum epistolae a Pompeio scriptae a Cicerone ad Atticum missum) non ea, quae vere ibi nunc quidem leguntur «Nam te hic tutissimo puto fore», sed immutata sic «Ibi tutissime eris», quod idem habet Weissenborn. Gramm. Lat. § 155, adnot. 3. — Idem autem Putschius ex iis, quae Ep. ad Att. X, 12, 6. sic reperiuntur scripta «Massiliensium factum cum ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est recte esse in Hispaniis» haec fecit: «In Hispania omnia recte sunt», quamquam dubium vix est, quin *recte esse* eo loco referendum sit ad impersonalem, quam dicunt, verbi positionem. Congruit autem totum etiam illud, quale a Putschio affertur, cum Weissenborn 1. 1. — Minime denique omnium Ciceronis verba sunt, quae item a Putschio eodem loco illi attribuuntur, aut haec «Patria est, ubicunque est bene» (Cic. Tusc. V, 37, 108) aut haec «Bonis bene est, malis male» (Cic. De Nat. D. III, 32, 79; quamquam eo loco haec vere leguntur «Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest»); quorum utrumque quum poëtarum tantum auctoritatibus niteretur, haec potius, Ciceronis locutio si videretur exemplo comprobanda, debuerunt adhiberi: Quamobrem, ut improbo et stulto et inerti nemini bene esse potest, sic bonus vir et fortis et sapiens miser esse non potest. Cic. Parad. II, 19.

quomodo illi sunt? Cic. De Nat. D. III. 18, 45. — Si dii sunt, est divinatio; sunt autem dii, est ergo divinatio. Cic. De Div. II. 17, 41. — Nam quum apud Graecos antiquissimum e doctis genus sit poëtarum, siquidem Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus regnante Romulo, serius poëticam nos accepimus. Cic. Tusc. I, 1, 3. — Sunt ista. Cic. Lael. 2, 6. Verr. II; IIII, 6, 12; Tusc. I, 6, 10. — Nihil eorum est. Verr. II; III, 4, 8. — Iis enim ventis istinc navigatur, qui si essent, nos Corcyrae non sederemus. Ep. ad Fam. XVI, 7. — Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi soli gloriam quaerere; quod si esset, tamen non negligeres, praesertim cum amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam nominis tui. Ep. ad Q. fr. I, 1, 15, 44.

Haec vero vis ac potestas verbi *esse* iam ea facile exstitit, ut praegnanti illud sensu saepe universam alicuius status conditionem complectatur adverbio scilicet accedente ad eam ipsam conditionem significandam[1]). Profecta igitur inde sunt primum illa in omni genere scriptionis etiam Ciceronianae satis trita ac vulgaria, in quibus *ita sic*[2]), *secus*, *aliter*, alia ad illam conditionem generatim definiendam adhibentur, velut in his: *Ita est*, *est ita*, *non ita est*, *non est ita*[3]), *quod non ita est*, *quod non est ita*, *quod cum ita sit*, *quae cum ita sint*, *id si ita est*, *si haec ita non sunt*,

---

1) Conf. Frid. Kritz. ad C. Sallust. Jug. 14, 11.

2) *Sic* multo quidem rarius eam similitudinem sequitur. Extant tamen haec apud Ciceronem: Sic enim fuit. Or. ad M. Brut. 5, 18. — Sive enim sic est, sive illo modo, videri possunt permulta somniantibus falsa pro veris. De Div. II, 58, 120. Quibus addenda sunt nonnulla, quae infra afferentur.

3) Praemitti verbum Bakius (ad Cic. De Leg. I, 6, 18) statuit, quum correctio tantum apponenda sit. Asseveratio autem maior in his inest: Et hercule ita est. Ad Att. XVI, 7, 5. — Quod ita est profecto. Ad Att. XII. 3, 1. — Et nimirum ita est. Ad Att. XV, 19, 2. — Et certe ita est. Ad Att. IX, 13, 2. — Quod certe non ita est. Ad Fam. III, 8, 5. — Et prorsus ita fuit. Ad Q. fr. III, 1, 4, 13. Cf. Ad Att. VII, 8, 1; De Leg. II, 16, 40; ib. III, 11, 26. Attamen *est vero ita* pro *est ita* Bakius ad Cic. De Leg. II, 3, 7. negat se usquam reperisse.

quod si ita est, quod si non ita est, quod ni[1]) *ita sit, sit sane ita, sit ita sane, ut ita sit, fac ita esse, fac ita non esse, quasi ita sit, non quo ita sit, id secus est, quod est longe secus, quod est longe aliter, quod si aliter est*[2]) et quae sunt generis eiusdem. At sunt tamen etiam ex hoc numero quaedam, quibus maxime in epistolis Ciceronem quodammodo delectatum fuisse dicas. Quo pertinent primum ea, ubi verbum *esse* non ad subiectum spectat id, quod pronomine universali quodam contineatur vel subaudiendum tantum sit atque ex sermonis contextu repetendum, verum ad omne genus nominum aut substantivorum aut adiectivorum vel homines vel res significantium. Atque huc quidem quae referenda statuas, haec maxime sunt: Sed quidvis est melius quam sic (in der Lage) esse, ut sumus. Ad Fam. XVI, 12, 4. — Omnes, tamquam si tu esses, ita fuerunt (zeigten sich so). Ad Q. fr. III, 2, 9. — Ac primum Graecis id, quod acerbissimum est, quod sunt vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quod sine imperio populi Romani suis institutis per se ipsi ita fuerunt. Ad Q. fr. I, 1, 11, 33. — Lucretii poëmata, ut scribis, ita sunt: non multis luminibus ingenii, multae tamen artis. Ad Q. fr. II, 11, 4. — In Pompeio te spem omnem otii ponere non miror; ita res est; removendumque censeo illud „dissimulantem". Ad Att. VI, 1, 11. — Ita sunt res nostrae: ut in secundis, fluxae; ut in adversis, bonae. Ad Att. IV, 1, 8[3]).

---

[1]) Quod ni ita est, omnino iustitia nulla est. Cic. De Leg. I, 18, 50. — Quod ni ita sit, quid veneramur, quid precamur deos? Cic. De Nat. D. I, 44, 122. — Cf. De Invent. I, 47, 88 (ni ita esset). — Verr. II; III, 64, 149; De Nat. D. II, 12, 32; De Leg. I, 17, 46; Or. Phil. XI, 12, 27 (nam ni ita esset). — De Off. III, 29, 108; Tusc. V, 7, 18; De Nat. D. I, 27, 77; ib. II, 2, 4 (quod ni ita esset). — Cat. Mai. 11, 35 (quod ni ita fuisset).

[2]) Quod utinam ita esset! sed longe aliter esse intelligo. Ad Att. XI, 12, 3. — Minus enim auderent, si aliter esset. Ad Att. X, 12, 6. Cf. Ad Fam. XI, 14, 3; Or. pro S. Rosc. Am. 47, 138; De Nat. D. II, 30, 76; De Leg. I, 17, 47; De Or. III, 14, 52; Or. ad M. Brut. 58, 198. Unde apparet non tam rarum illum usum vel apud Ciceronem esse, quam Schwartz. putavit, de quo cf. Ferd. Hand. Tursell Vol. I, s. v. *aliter*; II. 3.

[3]) Conf. Ad Fam. XV, 21, 2; ib. XII, 20; ad Att. I, 5, 2; ib.

Omnium vero maxime id sibi in epistolis paene unis licere videtur Cicero statuisse, ut *de* praepositioni in transitu ad aliam rem commemorandam impersonali positione subiiceret *ita est* ad confirmanda suo vel iudicio vel testimonio ea, quae ullo modo dubia essent. Ex quo genere sunt haec: De domo et Curionis oratione, ut scribis, ita est. Ad Att. III, 20, 2. — De Domitio, ut scribis, ita opinor esse. Ad Att. VIIII, 9, 3. — De Sicca ita est, ut scribis. Ad Att. XVI, 11, 1. — De Septemtrione, plane ita est. Ad Att. IX, 9, 2. — De fratre, confido ita esse, ut semper volui et elaboravi. Ad Att. I, 10, 5.[1]) — Quamquam etiam extra transitionem interdum ita locutus est, velut his: Itaque neque ego hunc Hispaniensem casum exspecto, de quo mihi exploratum est ita esse, ut tu scribis, neque quidquam astute cogito. Ad Fam. II, 16, 6.[2])

Nec minus frequenter praecipue in epistolis a Cicerone verbum *esse* positione item fere impersonali ad sententiae primariae vim limandam sic adhibitum

---

VI, 7, 1. Ex ceteris Ciceronis libris haec afferri possunt similiter dicta: Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat. Or. pro Q. Rosc. Com. 10, 29. — Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. Or. pro S. Rosc. Am. 30, 84. Conf. Or. pro Sulla 7, 22. — Aliter autem comparata sunt ea, ubi particulae, de quibus agitur hoc loco, ad id, quod vel praecedit vel sequitur, attributum facile referuntur, sicut his: Tu quemadmodum me censes oportere esse et in republica et in nostris inimicitiis, ita et esse et fore auricula infima scito molliorem. Ad Q. fr. II, 15, 4. — Atque ego haec tam (in dem Grade, so schlimm) esse, quam audio, non puto. Ad Q. fr. I, 2, 3, 9. — Metrodorus quidem perfecte eum beatum putat, cui corpus bene constitutum sit et exploratum ita semper fore. Cic. Tusc. II, 6, 17. — Ita sit nobis igitur ornatus et suavis orator — nec tamen potest aliter esse —, ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. Cic. De Or. III, 26, 103. — Quod homines etiam locupletes, sicut ille est, in Sicilia facere consuerunt. Verr. II; III, 21, 53. — Ad *secundum te et liberos nostros* referendum est *ita* hoc loco: Ille mihi secundum te et liberos nostros ita est (nimmt bei mir so den nächsten Rang ein nach etc.), ut sit paene par. Ad Q. fr. III, 1, 5, 18.

[1]) Conf. Ad Att. XVI, 3, 2; ib. IX, 9, 1. Paucis de eo genere loquendi exponit Ferd. Hand. in Tursell. Vol. II, s. v. De; III, 8.

[2]) Accedit aliunde unus locus hic: Sit sane, inquam, ut lubet, de isto. Brut. 11, 44.

animadvertimus, ut enuntiationibus illis non *ita* quidem, at id, quod ei respondeat, *ut* praemittatur. Sunt autem huius generis haec: Sed, ut nunc est, a. d. III. Nonas Jan. ad urbem cogito. Ad Att. VII, 4, 3. — Et, ut nunc est, mansurae videntur. Ad Att. XII, 29, 1. — Ut quidem nunc est, nihil sane est necesse mittere. Ad Att. XIII, 26, 2. — Deinde non habet, ut nunc quidem est, id vitii res. Ad Fam. IV, 9, 2.

Quorum similia sunt haec: Quod videris non dubitare, si consules transeant, quid nos facere oporteat, certe transeunt, vel, quomodo nunc est, transierunt. Ad Att. VIII, 15, 3. — Nam, quomodo nunc est, pedem ubi ponat in suo, non habet. Ad Att. XIII, 2, 2.[1])

Praeter ea vero, quae sunt adhuc tractata, etiam alia adverbia maxime in epistolis verbo *esse* eo, de quo est expositum, modo Ciceronem apponere solitum fuisse atque ea, quorum minus generalis esset vis ac potestas, multi sunt loci, qui approbent. Atque ex eo genere ea facillimam habent explicationem, quae ad commorationis conditionem, qualis sit quibusque locis, accuratius definiendam adhibentur. Quo pertinent praeter eos locos, ubi *ita* vel *sic* particulae iis excipiuntur, quibus ipsae quo spectent, accuratius determinetur, velut his: Nos adhuc in ea ora, ubi praepositi sumus, ita fuimus, ut navem paratam haberemus. Ad Att. VIII, 11, B, 1. — Apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescumque fui, tamquam domi meae. Ad Fam. XIII, 69, 1. — Quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit. Ad Att. XIII, 21, 3,[2])

---

[1]) Conf. Ad Fam. XVI, 18, 1; Ad Q. fr. III, 1, 2; Ad Att. XII, 47, 1; ib. XIV, 16, 3. Similiter item in epistolis loquitur Caelius: Ut nunc est, nulla magno opere exspectatio est. Ad Fam. VIII, 1, 2. Totus ut nunc est, hoc scaturit. Ad Fam. VIII, 4, 2. In alio genere dictionis apud Ciceronem reperiuntur haec: Habes, quae fortissime de beata vita dici putem, et, quomodo nunc est, nisi quid tu melius attuleris, etiam verissime. Tusc. V, 28, 82. — Quomodo nunc quidem est, non video, quo pacto ille, cui in monte Oetaeo illatae lampades fuerunt, ut ait Attius, in domum aeternam patris ex illo ardore pervenerit. De Nat. D. III, 16, 41.

[2]) Conf. Ad Fam. XIII, 19, 1.

haec maxime, ubi adverbium praecipue vel commoditatem incommoditatemve spectat, quae insit in illa commoratione, vel honestatem aut turpitudinem, quam afferat illa, vel animi affectionem, quae inde sequatur: Qui minus autem ego istic recte esse possim, quam est Marcellus? Ad Att. XVI, 15, 6. — Tu ipse cum Sexto etiamnunc mihi videris Romae recte esse posse Ad Att. VII, 17, 1. — In Tusculano eo commodius ero, quod et crebrius tuas literas accipiam et te ipsum nonnunquam videbo. Ad Att. XII. 45, 2. — Et tamen eiusmodi spero negotia esse, ut — vos istic commodissime sperem esse. Ad. Fam. XIV, 7, 2. — Cui si esse in urbe tuto licebit, vicimus. Ad Att. XIV, 20, 3. — Erit igitur nobis coram odorandum et constituendum, tutone Romae esse possimus. Ad Att. XV, 3, 1. — Tutius videbatur fore ibi, ubi est, quam apud publicanos. Ad Att. XI, 2, 3. — Qui mihi videntur ubivis tutius quam in senatu fore. Ad Att. XIV, 22, 2. — Reliquum est, quod ipsae optime considerabitis, vestri similes feminae sintne Romae. Si enim non sunt, videndum est, ut honeste vos esse possitis. Ad Fam. XIV, 14, 1. — Hortensius filius fuit Laodiceae, gladiatoribus, flagitiose et turpiter. Ad Att. VI, 3, 9. — Pompeius erat apud me, cum haec scribebam, hilare et lubenter. Ad Fam. XVI, 10, 2. — Brutum apud me fuisse gaudeo; modo et libenter fuerit et sat diu. Ad Att. XV, 3, 2.

Accedunt ea, ubi loci ipsius significatio facile repetitur ex sermonis contextu: Nam ego eo nomine sum Dyrrhachii hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam, et sum tuto. Ad Fam. XIV, 3, 4. — Quid tu, inquam, Brute? „Romam", inquit, „si tibi videbitur". Mihi vero minime; tuto enim non eris. Ad Att. XV, 11, 1. — Ibi cum ventum exspectarem — erat enim villa Valerii nostri, ut familiariter essem et libenter — Rhegini quidam, illustres homines eo venerunt. Ad Att. XVI, 7, 1.[1])

---

[1]) Conf. Ad Att. XVI, 14, 2; Ad Fam. XIV, 14, 1. s. f.; ib. XI, 5, 1; Ad Att. XV, 12, 1; ib. XII, 3, 1; ib. XII, 9; ib. XII, 48; ib. XIII, 52, 1 et 2; ib. XVI, 6, 1; Ad Fam. VII, 15, 1; ib. IX, 19,

Ipsum autem per se verbum *esse* ex eo numero, de quo agitur, inprimis adverbia *bene*, *male*, *recte*, *belle* et si qua sunt his vi ac potestate cognata, adiuncta habet. Atque eorum quidem enunciatorum, quae huc pertinent, duo maxime genera sunt, alterum, ubi, quidquid dicitur id personaliter enunciatur, alterum ubi contra. Quorum illo haec comprehendenda, numero quidem pauciora: Noster autem status est hic: Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti; apud sordem urbis et faecem multo melius nunc, quam reliquisti. Ad Att. I, 16, 11. — De quo cetera, nisi plane vis eripuerit, recte sunt. Ad Q. fr. III, 9, 2.[1]) — Sed, ut ad epistolas tuas redeam, cetera belle; illud miror: quis solet eodem exemplo plures dare, qui sua manu scribit? Ad Fam. VII, 18, 2. — Ille et tibi et sibi visum et ita se domi ex tuis audisse, ut nihil esset incommode. Ad Att. VI, 9, 1. Ad alterum genus haec referenda sunt: Si vales, bene est. Ad Fam. XIV, 15. — Si tu exercitusque valetis, bene est. Ad Fam. V, 2, 1. — Apud Herum recte erat. Ad Q. fr. III, 1, 1, 1. — Apud matrem recte est, eaque nobis curae est. Ad Att. I, 7. — Sit modo recte in Hispaniis! Ad Att. X, 12, 2. — Massiliensium factum cum ipsum per se luculentum est, tum mihi argumento est recte esse in Hispaniis. Ad Att. X, 12, 6. — Quae quidem tu, si recte istic erit, maiora et graviora cognosces. Ad Fam. X, 20, 3. — De Attica, molestum; sed quod leviter, recte esse confido. Ad Att. XII, 23, 3. — De epistolarum frequentia te nihil accuso; sed pleraeque tantummodo mihi nunciabant, ubi esses,

---

1. — Ad Fam. XIV, 3, 3; ad Att. XV, 11, 1, f. Comparari autem cum his possunt pauca ex orationibus, velut haec: Turpe mihi ipsi videbatur in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet, et ibi velle tuto esse, ubi ille non posset. Phil. I, 4, 9. Qui sibi licere vult tuto esse in foro, in templo, in curia. Pro P. Sest. 42, 90. — Quum in convivio comiter et iucunde fuisses, tum illuc isti, ut dixeras. Pro Deiot. 7, 19. Attigit totum hunc locum, at non pertractavit Frid. Kritz. ad C. Sallust. Jug. 14, 11.

[1]) Quae affert Krueger. l. l. § 505: «Rectissime sunt apud te omnia», non ex Ciceronis, sed ex Dolabellae epistola (Ad Fam. IX, 9, 1) repetita sunt.

quod erant abs te; vel etiam significabant recte esse. Ad Att. IV, 16, 1.[1])

Deinde huc pertinent ii loci, ubi eius, cuius de salute ac valetudine agatur, casu dativo adiungitur significatio, velut his: Spero ex tuis literis tibi melius esse. Ad Fam. XVI, 22, 1. — Volebam ad te Marionem remittere; quem, cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres. Ad Fam. XVI, 5, 1. — Male mi sit, si unquam quidquam tam enitar. Ad Att. XIII, 25, 3. — L. Antonio male sit! siquidem Buthrotiis molestus est. Ad Att. XV, 15, 1. — Antonio, quam est, volo peius esse. Ad Att. XV, 3, 2.[2]) Ita autem, ut subaudiendus sit dativus, haec dicta videntur: Sed nunciant melius esse. Ad Att. VI, 7, 2. Accedit denique unus locus, ubi *esse* verbum de eo intelligendum, quod scriptum fuerit, hic: A. d. III. Non. Decembr. mendose fuisse animadverteram. Ad Att. I, 13, 5.

His iam Ciceronem epistolarum quandam proprietatem tueri cum satis docuisse videar, ad alium disputationis accedendum est locum ei, qui modo est tractatus, disparem quidem, at eum tamen, ut in eadem praeceptionis grammaticae parte versetur. Reservavit enim Cicero epistolis nonnulla etiam talia, ubi ei praedicato, quod si velis accuratius definire,

---

[1]) Conf. Ad Att. XIV, 16, 4; ib. XII, 6, 4; ad Q. fr. III, 2, 3. Accedit Ciceronis ex Bruto (96, 330) hoc unum eius usus exemplum: Quae, si recte esset, salute reipublicae; sin secus, interitu ipso testimonium meorum de republica consiliorum darent.

[2]) Conf. Ad Att. IV. 6, 2; ib. XII, 34, 1; ib. XIV. 5, 1. Extra epistolas haec similiter scripsit Cicero: Quamobrem, ut improbo et stulto et inerti nemini bene esse potest, sic bonus vir et fortis et sapiens miser esse non potest. Parad. II, 19. Contra verbis «Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest», quae quidem ipsa poëticae debentur dictioni, apud eundem paucis interiectis haec quodammodo respondent: Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male evenerit, nec minus, si commemorem, quibus improbis optime. De Nat. D. III, 32, 80 coll. 81. Graeca denique verba (καλῶς ἔστι) interpretatus esse videtur his: Comprehende igitur animo et propone ante oculos deum nihil aliud in omni aeternitate nisi *Mihi pulchre est* et *Ego beatus sum* cogitantem. De Nat. D. I, 41, 114. Comparari autem cum eo genere, quod supra est tractatum, haec facile possunt: Pompeio, nostro familiari, quum graviter aegrotasset Neapoli, melius est factum. Tusc. I, 35, 86.

legitimus usus est adverbii, pro adverbio ita subiungitur adiectivum, ut ad subiectum enunciationis per attractionem quandam id ipsum accommodetur, subiecti illud quidem habitum quendam perhibens, at eum, qui ad ipsam actionem verbo significatam aliquo modo pertineat. Ac plane ex hoc genere epistolarum scriptioni quodammodo vindicavit ea, ubi *nullus* illo, quo dixi modo ad nomen proprium refertur.[1]) Pertinent vero huc loci, ex epistolis Attico quidem inscriptis repetiti omnes, hi: Philotimus non modo nullus (als keiner, h. e. in keiner Art der Eigenschaften, die er in sich etwa vereint, also: in keiner Weise, keineswegs) venit, sed ne per literas quidem aut per nuncium certiorem facit me, quid egerit. Ad Att. XI, 24, 4. — Ego autem scripsi Sextum adventare, non quo iam adesset, sed quia certe id ageret ab armisque nullus discederet. Ad Att. XV, 22. — Corumbus Balbi nullus adhuc (sc. venit). Ad Att. XIV, 3, 1. — Quo accedit etiam hic locus, ubi *tu* pronomen illam similitudinem sequitur: Ad M. Aelium nullus tu quidem domum (sc. accedas), sed sicubi inciderit. Ad Att. XV, 29, 1.[2]) Inesse autem in eo genere superlationem quandam veritatis familiari sermoni maxime convenientem Naegelsbach. rectissime docuit.

---

[1]) Disputarunt de hoc loquendi genere Frid. Haase l. l. adnot. 395. — Car. Frid. Naegelsbach. in eo libro, qui inscriptus est: Latein. Stilistik f. Deutsche; ed. II. c. III. § 82, 2. — G. T. A. Krueger. l. l. § 298, Not. — J. N. Madvig. l. l. § 465, Adn. 5. — Ferd. Schultz. l. l. § 235, Adn. 4.

[2]) Similia illis haec sunt, quae solent ex poëtis comicis collecta afferri: Memini, tametsi nullus moneas. Ter. Eunuch. II, 1, 10. — Si non quaeret, nullus dixeris. Ter. Hec. I, 2, 4. — At tu edepol nullus creduas. Plaut. Trin. III, 1, 5. Conf. Ter. Andr. II, 2, 33. A recentioribus excogitatum est illud «Nullus dubito». Ex eo autem numero, ubi ad nomina appellativa *nullus* similiter refertur, non possum facere, quin certe significem ea, quae cum verbo *esse* illud coniunctum habent, cuius quidem generis a Seyffert. ad Cic. Lael. c. 6. § 22. paucis illustrati explicationem multum adiuvent *tam* vel *quam* particulae ad vim adiectivi accuratius circumscribendam nonnunquam adhibitae, sicut his: Quae est enim forma tam inusitata, tam nulla, quam non sibi ipse fingere animus possit? De Div. II, 67, 138. — Nondum dico, quam haec signa nulla sint. De Div. II, 6, 16, diligenter secernenda esse ab iis, ubi aliis illud verbis adiunctum est, velut his locis: Profecto — haec bona in ta-

Atque alia quidem adiectiva, in quibus similiter usurpandis Cicero paulo liberius sit in epistolis quam in ceteris dictionibus versatus, haud multa sunt, at haec tamen ex eo numero afferenda videntur: Ego vivo miserrimus et maximo dolore conficior. Ad Att. III. 5. — Quodsi nostris consiliis usi essemus neque apud nos tantum valuisset sermo aut stultorum amicorum aut improborum, beatissimi viveremus. Ad Fam. XIV, 1, 2. — Fac bellus revertare; non modo te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem. Ad Fam. XVI, 18, 1. — Cum complicarem hanc epistolam, noctuabundus (ganz bei Nacht, bei nächtlicher Weile) ad me venit cum epistola tua tabellarius. Ad Att. XII, 1, 2.[1]) Accedunt haec, quae dubium est an sic praeiverit Quintus Cicero, Marci frater, eam ille quidem similitudinem secutus, quam *frequens* adiectivi usus suppeditaret: Et sum equidem, uti scribis, et Romae et in praediis infrequens. Ad Q. fr. III, 9, 4.

Addenda iam his ex illa licentia sermonis ea, quae continentur eiusmodi locis, ubi verbo nullo intercedente attributum et id, cuius est illud attributum, unam notionem conficiunt. Ac praecipitur fere in hoc

---

bulas publicas nulla redierunt. Or. pro S. Rosc. Am. 44, 128. — Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Cat. I, 7, 16. Conf. De Off. III, 14, 59.

[1]) Usurpavit quidem ac frequentavit Cicero in omni genere scriptionis verbum maxime veniendi ita, ut subiectum vocabulo apposito definiret, non praedicatum adverbio, quo referenda sunt haec: Nec enim omnia effundam, ut, si saepius decertandum sit, ut erit, semper novus veniam. Or. Phil. II, 17, 43. — Maxime vero perspecta est utriusque nostrum exercitatio —; cum lege Pompeia ternis horis ad dicendum datis ad causas simillimas inter se vel potius easdem novi veniebamus quotidie. Brut. 94, 324. Accedunt eodem: Ep. ad Att. IX, 9, 2; Or. in Vatin. 2, 4; Or. Phil. III, 2, 4; Or. pro P. Sest. 55, 117; Or. pro Caec. 10, 28; Or. Phil. II, 35, 88; Or. ad M. Brut. 34, 121; ubi vel adiectiva animi fere vehementiorem affectum (iratus, multo iratior, furibundus, vehemens acerque) significantia vel participia actionis apparationem spectantia (paratus, instructus) adiuncta sunt. Ad diversa haec ab illis esse facile agnoscas, quamquam ne ipsa quidem omnia eiusdem sunt generis, siquidem verbum veniendi in plerisque deflexit ad translationem, in ceteris suam ac propriam vim tenuit, quo quidem pertinet etiam hoc: Venitque plaga vehementior. Tusc. II, 23, 56.

genere non coniungenda esse, si discesseris a numeralibus et iis, quorum significatio comparatione careat, cum nominibus propriis adiectiva nisi ea, quibus additis demum nominis ipsius vis expleatur.[1]) Exstant autem quae aliter sint comparata, in ea, de qua agitur, dictione maxime haec: Si tu et Tullia, lux nostra, valetis, ego et suavissimus Cicero valemus. Ad Fam. XIV, 5, 1. — Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. Ad Fam. XIV, 7, 3. — Ita sum ab omnibus destitutus, ut tantum requietis habeam, quantum cum uxore et filiola et mellito Cicerone consumitur. Ad Att. I, 18, 1. — Ei dicas plurimam salutem et suavissimae Atticae. Ad Att. XVI, 7, 8. — Lepta suavissimus ediscat Hesiodum et habeat in ore *Τῆς δ'ἀρετῆς ἱδρῶτα.* Ad Fam. VI, 8, 5. — Ego cum tuo Servio iucundissimo[2]) coniunctissime vivo. Ad Fam. XIII, 27, 4.[3]) Ex ipsis epistolarum praescriptionibus

---

[1]) Conf. Ferd. Schultz. Gramm. Lat. § 303. Naegelsbach. l. l. § 79. Die syntactische Verbindung der Adjektiva mit Substantiven.

[2]) Illam quidem lectionem etiam in edit. Orell. alt. emendat. probaverunt ac receperunt Jo. Casp. Orellius et Jo. Georg. Baiterus. Naegelsbaeh l. l., *iucundissime* an scribendum sit, addubitat.

[3]) Conf. Ad Att. III, 23, 5; ib. IV, 9, 2; ib. VI, 4, 3; VII, 2, 7; VIII, 12, 1; Ad Fam. XVI, 18, 2. Auctorem Graecum (*Κριτίᾳ τοῦτ' ἔστω τῷ καλῷ.* Xenoph. Hellen. II, 3, 56) idem secutus est his: Propino, inquit, hoc pulcro Critiae. Tusc. I, 40, 96. Singularis ratio est eorum, quae leguntur Brut. 33, 127; Huic successit aetati C. Galba, Servii illius eloquentissimi viri filius, P. Crassi eloquentis et iuris periti gener. — ubi facile ex praecedentibus repetitur *illius.* — et De Nat. D. III, 32, 80: Cur omnium perfidiosissimus C. Marius Q. Catulum, praestantissima dignitate virum, mori potuit iubere? — ubi sequitur *virum,* quod idem etiam praecessit. Quamquam de hoc quidem loco quae exposuit Naegelsbach. l. l. § 79, 1 non sunt negligenda. Minime vero huc detorquendum est id genus, in quo adiectivum cum verbo artius cohaeret, velut his locis: Conculcari, inquam, miseram (jämmerlich) Italiam videbis. Ad Att. VIII, 11, 4. — Exeant, proficiscantur, ne patiantur desiderio sui Catilinam miserum (kläglich) tabescere. Or. in Cat. II, 4, 6. — Aetoliam, quae procul a barbaris disiuncta gentibus in sinu pacis posita, medio fere Graeciae gremio continetur, decedens miseram perdidisti. Or. in Pis. 37, 91. Nec est quidquam apud Ciceronem, praesertim in epistolis et orationibus, frequentius quam *miser* adiectivum cum animi quadam commotione ad misericordiam fere commovendam ita interiectum, ut aliquo tamen modo ad verbum quum sit referendum, verti fere possit: In kläglicher Weise, kläglich, jämmerlich, zum Erbarmen, in meinem, deinem etc. Unglücke, zu meinem etc. Leidwesen, ich Unglücklicher! der Unglückliche! Leider!

accedunt haec: Tullius et Cicero et Q. Q. Tironi humanissimo et optimo s. p. d. Ad Fam. XVI, 5. — In allocutionibus autem similiter scripta haec reperiuntur: Vos, mea suavissima et optatissima Terentia, si nos amatis, curate, ut valeatis. Ad Fam. XIV, 5, 2. — Nimis, nimis, inquam, in isto Brutum amasti, dulcissime Attice, nos, vereor, ne parum. Ad Att. VI, 2, 9. — Nos enim plane, mi suavissime Volumni, aut nihil sumus aut nobis quidem ipsis displicemus. Ad Fam. VII, 33, 1.[1])

Proxime accedit id genus, quum comparationis quadam ratione nomina propria appellativorum induunt quodammodo vim ac potestatem. Quo pertinent haec maxime: Habuimus in Cumano quasi pusillam Romam; tanta erat in his locis multitudo. Ad Att. V, 2, 2. — Siculus ille capitalis, creber, acutus, brevis, paene pusillus Thucydides. Ad Q. fr. II, 13, 4. — Clamare praeclari Areopagitae se non esse venturos, nisi praesidio constituto. Ad Att. I, 16, 5.[2])

A quibus diversa sunt ea, ubi verbum habendi ita coniungitur cum adiectivo ad nomen proprium ac-

---

et quae sunt generis eiusdem. Conf. Ep. ad Att. III, 8, 2; ib. 13, 2; ib. 23, 5; IX, 13, 8; XI, 24, 2; Ad Q. fr. I, 3, 3; ib. 3, 7; Ad Fam. XIV, 2, 3; ib. 4, 5; Or. pro Quinct. 18, 59; ib. 31, 98; Verr. II; I, 29, 74; ib. 37, 93; ib. III, 28, 68; ib. 34, 79; ib. 39, 88; V, 33, 87; ib. 62, 160; ib. 161; pro Cluent. 9, 27; ib. 13, 39; De L. agr. II, 17, 45; pro Mur. 41, 88; pro Planc. 42, 101; De prov. cons. 5, 10; ib. 11; pro Mil. 1, 4; pro Rab. Post. 17, 46; De Or. III, 56, 214; quo quidem loco recte *miseram Lamentantem* retinuerunt Henrichsen. et Ellendt. Brevius, quam velles, id genus perstrinxit L. F. Heindorf, ad Horat. Sat. II, 2, 66. Naegelsbach. vero l. l. § 79, 1 in verbis «Catilina miser» interpretandis quin verum non viderit, vix iam est dubium.

[1]) Conf. Ep. ad Fam. XVI, 21, 2, (mi dulcissime Tiro) et ad Fam. IX, 9, 3; (mi iucundissime Cicero), quarum altera quidem a Cicerone filio, altera ab Dolabella scripta est. Animi singularem quandam commotionem his adumbratam putes: Haec mala, o stultissime Aeeta, ipse tibi addidisti. Tusc. III, 12, 26. Iisque simile exclamationis exemplum Auct. ad Herenn. (IV, 15, 22.) proposuit hoc: O perfidiosae Fregellae, quam facile scelere vestro contabuistis!

[2]) Eodem referendum est illud: Quem ita obsides, nove Hannibal, aut si quis acutior imperator fuit, ut te ipse obsideas neque te istinc, si cupias, possis explicare. Or. Phil. XIII, 11, 25. Conf. Or. ad M. Brut. 26, 89.

commodato, ut accusativus inde praedicati, qui dicitur, exsistat, quod tamen genus etiam ipsum Cicero epistolis quasi reservasse videtur. Haec quidem inde sunt assumta: Habes amantissimum Servium; nos non desumus. Ad Fam. XI, 24, 2. — Eo die acerbum habuimus Curionem, Bibulum multo iustiorem, paene etiam amicum. Ad Fam. I. 4, 1. — Habes Paullum nostrum nostri cupidissimum; est Curio, est Furnius. Ad Fam. XV, 14, 5.[1])

Denique non sunt omittenda hoc loco pronomina possessiva, quae vel praenominibus propriis non sine brevitate quadam dicendi appositionem fere devitante adiunguntur etiam ubi ea ratio vel absit vel minus quidem valeat, qua illa, plurativum praesertim, in omni genere scriptionis ad significandam amice ac suaviter testandamque familiaritatem atque caritatem[2]) adhibentur, ut ad eos iam simpliciter illa referantur, qui cognatione vel affinitate vel domestico denique usu et necessitudine aliqua inter se attingentes alter ab altero quasi possideantur. Ex eo autem numero, quem nimirum ingentem Ciceronis epistolae exhibent, primum afferenda ea videntur, quae ad ipsius scriptoris propinquos cognatosque pertineant, velut haec: Ego meo Ciceroni, quoniam Roma caremus, Arpini potissimum togam puram dedi. Ad Att. IX, 19, 1. — Quid vero tuum filium, imaginem tuam, quem meus Cicero et amabat ut fratrem et iam ut maiorem fratrem verebatur? Ad Q. fr. I, 3, 3. — Cicero meus, modestissimus et suavissimus puer, tibi salutem dicit. Ad Att. V, 9, 3.[3]) — Quod ad me de domo scribis

---

[1]) Quiddam etiam velut opera quadam confectum locutio spectat in his: Omnes molestias et sollicitudines, quibus — te miserrimam habui (in hohem Grade bekümmert habe), — deposui et eieci. Ad Fam. XIV, 7, 1. Cui loco simillimus est hic: Cur ergo unus tu Apollonidenses — miseriores habes (Warum also sind durch dich allein die A. in unglücklicherer Lage etc.?), quam aut Mithridates, aut etiam pater tuus habuit unquam? Or. pro Flacc. 29, 71.

[2]) Conf. Weissenborn. l. l. § 207; Adnot. 3, c. De singulari quodam praenominis usu disputat Heindorf. ad Horat. Sat. II, 5, 32.

[3]) Conf. Ad Att. III, 23, 5; ib. IV, 15, 10 et 17, 3; ib. VI, 2, 10; ib. IX, 17, 1; ib. XIII, 37, 2; ib. XIV, 17, 5; Ad Q. fr. III,

iterum, iam id ego proficiscens mandabam meae Tulliae. Ad Fam. VII, 23, 4. — Epistola tua gratissima fuit meae Tulliae. Ad Att. X, 13, 1. — De Tullia mea tibi assentior. Ad Att. VI, 1, 10. — Ibi mihi Tulliola mea fuit praesto. Ad Att. IV, 1, 4.[1])

Sequuntur eorum necessitudines, quibus quaeque inscripta est epistola. Quo ex numero haec sunt: Quintus tuus, puer optimus, eruditur egregie. Ad Q. fr. II, 4, 2. — Publio tuo neque opera neque consilio neque labore neque gratia neque testimonio defui. Ad Fam. V, 17, 2. — In quo, etiamsi multi mecum contendent, tamen cum reliquis omnibus, tum Crassis tuis iudicibus omnes facile superabo. Ad Fam. V, 8, 4. — Scripsi etiam — Aristotelio more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Ad Fam. I, 9, 23. — Servius tamen tuus omnibus officiis, quae illi tempori tribui potuerunt, declaravit et quanti ipse me faceret et quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore. Ad Fam. IV, 6, 1.[2]) — Cicero tibi plurimam salutem dicit; tu dices utriusque nostrum verbis et Piliae tuae et filiae. Ad Att. VI, 8, 5. — Eo tempore polla tua misit, ut ad te, si quid vellem, darem literarum, cum, quid scriberem, non habebam. Ad Fam. XI, 8, 1. — Sed tamen, postquam tuas literas legi, Postumia tua me convenit. Ad Fam. IV, 2, 1.[3])

Accedunt eorum appellationes, qui utriusque communiter vel sunt necessarii ac propinqui vel ne-

---

4, 6 et 8, 2; Ad Fam. XVI, 12, 6. Animo commotiore Catonem Cicero loquentem haec facit: Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi, verum etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior! De Sen. 23, 84. De eo, qui adest ipse, Ciceronis fratre patrueli agitur De Fin. V, 3, 8 et ib. 32, 95.

[1]) Conf. Ad Fam. II, 15, 2; ib. II, 16, 5; ib. III, 12, 2; ib. VI, 18, 5; Ad Att. IV, 16, 4; ib. VI, 4, 2 et 8, 1; ib. X, 2, 2; ib. X, 8, 1; ib. X, 8, 9; ib. X, 18, 1; ib. XI, 17, 1; ib. XII, 5, 4; ib. VI, 9, 5.

[2]) Conf. Ad Fam. V, 8, 2.

[3]) Conf. Ad Fam. V, 6, 1 (Cornelia tua); ib. VI, 12, 3 (Epuleiae tuae).

cessariorum ac propinquorum loco habentur. Quo quidem genere haec comprehendenda sunt: Tullia nostra venit ad me pridie Idus Iunias. Ad Fam. XIV, 11.[1]) — Pisonem nostrum merito eius amo plurimum. Ad Fam. XIV, 2, 2. — Huic convivio puer optimus, Quintus tuus meusque, quod perleviter commotus fuerat, defuit. Ad Q. fr. II, 6, 1. — Qui quidem Quintum meum tuumque, dii boni! quemadmodum tractat honore, dignitate, gratia. Ad Att. IV, 18, 3. Filiam meam et tuam Ciceronemque nostrum quid ego, mi frater, tibi commendem? Ad Q. fr. I, 3, 10. — Cicero noster, dum ego absum, non cessavit apud rhetorem. Ad Q. fr. III, 1, 4, 14.[2]) — Cura, amabo te, Ciceronem nostrum. Ad Att. II, 2, 1. — Cicerones nostri sunt apud Deiotarum. Ad Att. V, 18, 4.[3]) — Nunquam enim a Pomponia nostra certior sum factus esse, cui dare literas possem. Ad Att. I, 5, 3. — Valde me momorderunt epistolae tuae de Attica nostra. Ad Att. XIII, 12, 1.[4])

His addendi sunt ii loci, ubi priori pronomini possessivo ita adiungitur alterum, ut id demum ab ea, quae eius est propria, vi ac potestate aliquo modo recedat et ad voluntatis potius inclinationem quam ad propinquitatis vel affinitatis rationem significandam pertineat. Sunt autem huius generis haec: In communibus miseriis hac tamen oblectabar specula, Dolabellam meum vel potius nostrum fore ab iis molestiis, quas liberalitate sua contraxerat, liberum. Ad Fam. II, 16, 5. — Servius tuus vel potius noster summa me observantia colit. Ad Fam. IV, 4, 5.[5])

Hos deinceps ii sequuntur loci, quibus liberti similiter appellantur: Rufio, medius Fidius, tuus ita desiderabatur, ut si esset unus e nobis. Ad Fam. VII,

---

[1]) Conf. Ad Fam. XIV, 19; ib. 1, 1; ib. 2, 1; ib. 7, 2.

[2]) Conf. Ad Q. fr. II, 13, 4.

[3]) Conf. Ad Att. VII, 13, a. 3; ib. VIII, 4, 1.

[4]) Conf. Ad Att. XII, 33, 2; ib. XIII, 15; ib. XIII, 17; ib. XIII, 19, 1.

[5]) Conf. Ad Q. fr. II, 14, 2; Ad Fam. I, 9, 24. Alio modo dicta sunt haec: Dionysius quidem tuus potius quam noster. Ad Att. VIII, 4, 1.

20, 1. — Qua quidem in re mirifica opera Dionysii et Menophili tui fuit. Ad Att. IV, 8, a. 2. — Simul accepi a Seleuco tuo literas, statim quaesivi e Balbo per codicillos, quid esset in lege. Ad Fam. VI, 18, 1. — Oratorem meum — Sabino tuo commendavi. Ad Fam. XV, 20, 1.[1])

Proprium denique in hoc genere etiam hoc epistolarum est, quod Cn. Pompeium Magnum propter singularem quandam ac vetustam familiaritatem quamvis multis modis fucatam atque consiliorum in republica societatem semper aliquam quidem saepissime Gnaeum nostrum Cicero vocat, velut his locis: Gnaeus autem noster, o rem miseram et incredibilem! — ut totus iacet! Ad Att. VII, 21, 1. — Gnaeus quidem noster iam plane quid cogitet, nescio. Ad Att. II, 16, 2.[2])

Iam restat denique, ut his addam nonnulla de simili sermonis consuetudine, quae in allocutionibus maxime frequentatur. Atque in hoc genere, quo magis saepe in rei parum gratae vel mentione facienda vel excusatione molienda voluntatem eius, ad quem scriberet, blandius appellando mulcere,[3]) quam animi aliquam applicationem Cicero vere voluerit declarare, ex plurimis pauca atque ea inprimis afferenda videntur, quae cum cetera eiusdem scriptoris locutione insignem quandam comparationem habeant. Quo maxime haec pertinent: Si, mi Quinte, parva aliqua res esset, in qua sciscitarere, quid vellem, tamen, cum tibi permissurus essem, ut faceres, quod velles, ego, ipse

---

[1]) Conf. Ad Fam. VI, I, 6; ib. VII, 1, 3; Ad Att. VII, 2, 2. Quamquam additur interdum liberti significatio etiam in epistolis, ut Ad Fam. III, 1, 1; ib. III, 1, 2; ib. III, 5, 3; ib. III, 9, 1; ib. V, 6, 1.

[2]) Conf. Ad Att. II, 12, 1; ib. VI, 1, 3; ib. VII, 1, 4; ib. VII, 10; ib. VII, 16, 2; ib. VII, 21, 2; ib. VIII, 2, 4; ib. VIII, 3, 7; ib. VIII, 9, 3; ib. VIII, 11, 2; ib. VIII, 13, 1; ib. VIII, 16, 2; ib. IX, 1, 2; ib. IX, 7, 3; ib. IX, 11, 4. *Nostrum* eundem appellat Ad Att. VII, 11, 3; ib. VII, 26, 2; *amicum nostrum* Ad Att. VIII, 7, 1. Quamquam dubium non est, quin minime eadem ex omnibus illis locis animi affectio scriptoris emergat.

[3]) Simile quiddam observavit in Graecorum sermone Schneidewin, ad Sophoclis Aiac. V, 315 et Oedip. tyr. V, 800.

quid vellem, ostenderem. Ad Q. fr. II, 15, b, 2.[1]) — Verum iidem, mi T. Pomponi, iidem, inquam, illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pinnas inciderant, nolunt easdem renasci. Ad Att. IV, 2, 5. — Amisimus, mi Pomponi, omnem non modo succum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. Ad Att. IV, 16, 10. — Mi Pomponi, pugna, ut tecum et cum meis mihi liceat vivere, et scribe ad me omnia. Ad Att. III, 22, 3.[2]) — Illud me, mi Attice, in extrema fere parte epistolae commovit. Ad Att. VI, 1, 20. — O mi Attice, vereor, ne nobis Idus Martiae nihil dederint praeter laetitiam et odii poenam ac doloris. Ad Att. XIV, 12, 1.[3]) — Quamobrem obsecro te, mi Tite, eripe mihi hunc dolorem aut minue saltem aut consolatione aut consilio aut quacunque re

---

[1]) Eundem Quintum fratrem, qui quidem plerumque appellatur in epistolis vel *mi frater* (Ad Q. fr. I, 3, 10; ib. I, 4, 1; ib. II, 3, 7; ib. II, 6, 3 et 7; ib. II, 7; ib. II, 15, b, 1; ib. II, 16, 5; ib. III, 1, 7, 25; ib. III, 1, 5 et 6, 4; ib. III, 9, 4.) vel *mi carissime fr.* (Ad Q. fr. III, 8, 6.) vel *mi suavissime fr.* (Ad Q. fr. III, 5 et 6, 4.) vel *mi carissime et suavissime fr.* (Ad Q. fr. II, 7.) vel *mi suavissime et carissime fr.* (Ad Q. fr. III, 4, 6.) vel *mi suavissime et optime fr.* (Ad Q. fr. III, 7, 2; ib. III, 9, 9.) vel *mi optime et suavissime fr.* (Ad Q. fr. II, 15, b, 2.) vel *mi optime et optatissime fr.* (Ad Q. fr. II, 8, 2.), idem M. Cicero vocare solet alias vel *Quinte frater* (De Or. I, 1, 1; II, 1, 1; III, 1, 1; ib. 4, 13; Or. pro Mil. 37, 102. et in disputatione quidem ac dialogo, De Leg. III, 11, 26.) vel *Quinte* (De Leg. I, 1, 5; ib. 4, 12; ib. 6, 18; ib. 22, 57 et 58; II, 3, 7; ib. 4, 9; ib. 5, 12; ib. 7, 18; ib. 17, 43; ib. 25, 62; III, 5, 12; ib. 7, 17; ib. 10, 23; ib. 15, 33; ib. 17, 39; quorum in locum successit passim extra dialogum vel *frater* (De Or. I, 1, 4.) vel *mi frater* (De Or. I, 6, 23.) vel *carissime frater atque optime* (De Or. II, 3, 10.), in dialogo vel *frater* (De Leg. II, 11, 26.) vel *optime et dulcissime frater* (De Leg. III, 11, 25.). Est tamen Marcus filius inter domesticos is, quem etiam extra epistolas Marcus pater, quum soleat quidem alloqui *Marce fili,* ut De Off. I, 1, 1; ib. 5, 14; ib. 22, 78; II, 1, 1; III, 1, 1; ib. 33, 121., tamen nonnunquam eundem vocat *mi Cicero,* ut De Off. I, 1, 3; II, 2, 8; ib. 13, 44; III, 2, 5; ib. 7, 33; ib. 33, 121. et Or. Part. I, 1; 40, 140. At in iis maxime libris id factum esse vides, quos sine dubio singulari etiam consilio Cicero aut scripsit, aut scripsisse voluit videri.

[2]) Conf. Ad Att. III, 4; ib. III, 23, 2.

[3]) Conf. Ad Att. VI, 6, 4; IX, 6, 7; X. 8, 6; XII, 3, 1; ib. 19, 4; XIII, 31, 4; ib. 38, 2; XIV, 16, 3; ib. 17, 5; ib. XV, 20, 2; XVI, 2, 2; ib. 6, 2; ib. 7, 3; ib. 10, 2. Atque apposita quidem in his allocutio plerumque est vel imperativo vel adhortationi alicui.

potes. Ad Att. IX, 6, 5.[1]) — Idque etiam mea interesse, mi Trebati, arbitror. Ad Fam. VII, 20, 2. — Nec vir melior, mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est, te tamen excepto. Ad Fam. VII, 21. — Audi, Testa mi: utrum superbiorem te pecunia facit, an quod te imperator consulit? Ad Fam. VII, 13, 1.[2])

Quam vero non fuerit in his constans usus pronominis, etiam ipsae epistolae multa exhibent exempla in iisdem quidem alloquendis proposita, ex quibus D. Brutum et Cn. Plancum commemorasse satis fuerit, quorum uterque nunc addito, nunc omisso illo appellatur[3]) atque ita quidem, ut facile appareat praetermissione pronominis minime ullam imminutae familiaritatis significationem contineri.

De singulari sermonis eius, quo Cicero in epistolis usus sit, consuetudine denuo quaedam in medium proferre quum hac opportunitate scribendi mihi sit propositum, non mihi videor ne nunc quidem id suscipere, quod a puerilis institutionis ratione omni ex parte abhorreat, qui quidem etiam ea, quae prius de eadem re duabus commentationibus similem prodeundi occasionem habentibus exposui, ab iis, qui scholarum

---

[1]) Conf. Ad Att. II, 16, 3. Eundem autem alias alloquitur idem vel *Pomponi* (De Leg. I, 5, 17; ib. I, 7, 21; ib. I, 20, 53; ib. I, 24, 63; ib. II, 18, 45; ib. III, 20, 47.) vel *Attice* (Lael. I, 2; Cat. Mai. I, 1; De Leg. I, 1, 3; ib. I, 3, 8; ib. I, 4, 13; II, 10, 24; III, 1, 1; ib. III, 5, 13; ib. III, 13, 29; ib. III, 13, 30.) vel *Tite* (De Leg. I, 1, 4; ib. I, 2, 5; ib. I, 13, 37; ib. II, 14, 34; ib. II, 23, 58; ib. III, 8, 19; ib. III, 15, 33.). Nec de claris oratoribus liber, qui Brutus inscriptus est, alia suppeditat.

[2]) Eundem C. Trebatium semel etiam blandius ac familiarius idem alloquitur *mi vetule* (Ad Fam. VII, 16, 1.), at rursus multo luculentiore appellatione *C. Trebati* extra epistolas (Top. I, 1.). Ac praenomen quidem, quid intersit, utrum in alloquendo adiiciatur, an omittatur, paucis docet Seyffert. l. l. ad c. 2. § 8. Ipse vero Cicero quam in ea re generatim statueret observandum, quidquid deceret, satis significavit his: Quod sine praenomine familiariter, ut debebas, ad me epistolam misisti, primum addubitavi, num a Volumnio senatore esset, quocum mihi est magnus usus. Ad Fam. VII, 32, 1.

[3]) Conf. de Bruto Ep. ad Fam. XI, 14, 1; ib. 15, 2. et ad Fam. XI, 14, 1; ib. 16, 3. s. f.; ib. 24, 1; de Planco ad Fam. X, 5, 2; ib. 10, 2; ib. 14, 2; ib. 19, 2; ib. 20, 2; XIII, 29, 5 et 8; ad Att. XVI, 16, A, 6; ib. B, 9; ib. E, 15. et ad Fam. X, 3, 2; ib. 6, 2; ib. 16, 1. Imitationi autem sermonis familiaris singulari *mi Brute* debetur Brut. 50, 187.

maxime usum spectarent, si quid de generibus scribendi diversis esset praecipiendum, haud indigna esse iudicata viderim, quae in suam rem varie converterent.[1]) Id autem consilium quum ab initio minime seiungendum ab hac quaestione existimarim, ut adolescentulos eos, quibus ad latine scribendi facultatem consequendam iam esset diligentius incumbendum, monerem vel monendos esse significarem, ne temere omnia, quae in epistolis vel ab elegantissimo scriptore usurpata reperissent, confunderent cum iis, quae ex cetera sermonis latini consuetudine percepta haberent, nunc quoque illam antea institutam scriptionem ita persequi placet, ut cautionem quandam in illo genere exercitationis etiam iis, quos dixi, adhibendam esse doceam.[2]) Nam plus quidem, quod pollicear, etiam

---

[1]) Minime Car. Frid. Suepfle in M. Tullii Ciceronis Epistolarum selectarum Editione, libro (qui quintum est emissus a. MDCCCLXI) dudum inter omnes litterarum latinarum praesertim in scholarum disciplina cultores maxime celebrato aspernatus est ea, quae tum (a. MDCCCXXXXIX et quinto anno post) sunt a me explicata.

[2]) C. Fr. Naegelsb. quidem in eo libro, quo unus omnium accuratissime ac sollatissime latinae linguae proprietatem cum sermonis consuetudine Germanorum comparavit (Latein. Stilistik für Deutsche. Von Naegelsbach. 3te Auflage p. 12), sic excusat, cur singulas quasi formas orationis non putarit diligentius sibi persequendas ac distinguendas: Uebrigens haben wir hier zu rechtfertigen, warum wir im Allgemeinen keine Rücksicht auf die besonderen Stilgattungen nehmen. Nach der Aufgabe, die wir uns gestellt haben, scheint uns das unvermeidlich. Wir sollen und wollen dem Stilisten Darstellungsmittel verschaffen. Diese sind aber an sich betrachtet für alle prosaischen Stilgattungen (und nur von diesen reden wir) mit alleiniger Ausnahme der Tropen in den allermeisten Fällen dieselben. Der Briefsteller, der Historiker, der Redner, der Philosoph unterscheiden sich nicht durch ein verschiedenes Material von Worten, sondern durch einen verschiedenen Gebrauch dieses Materials. Die guten und klassischen Ausdrücke sind am rechten Orte und im schicklichen Zusammenhang in jeder Stilgattung verwendbar. — Dass der Stil ein historischer, philosophischer u. s. w. werde, bewirkt nicht das einzelne Wort, die einzelne Struktur, sondern der das gegenseitige Verhältniss der Worte beherrschende Zweck und Gedanke. Haben freilich einzelne Ausdrücke von der Sprache ein für allemal ein besonderes Gepräge erhalten, wie z. B. manche Ausdrücke der familiären Rede, oder sind sie für eine Wissenschaft ausschliesslich geschaffene Kunstausdrücke, oder gehören sie erst dem silbernen Zeitalter der Latinität an, so ergiebt sich dies theils von selbst aus den Quellen, aus welchen wir sie schöpfen, theils haben wir dies ausdrücklich bemerkt. Quae omnia quin recte sint ac

hoc tempore, quum ad ea, quae de vocabulorum consecutione prius exposui, accessionem aliquam adiungere statuerim, a me exspectari nolim, qui nihil unquam hac opera suscepta vel sperarim, nisi posse me quodammodo viam monstrare ad rem excutiendam varie implicatam.

Atque alienum id quidem maxime etiamnunc videtur ab hoc proposito aut eorum manifestos errores convincere, qui ita sint incaute epistolarum Ciceronianarum ipsa designatione usi, Ciceronis ut esse scripserint vel indicarint[1]) etiam multas, quae iisdem modo voluminibus continerentur, quod essent inscriptae Ciceroni, aut ea afferre, quae, quamvis reperiantur saepius in epistolis etiam Ciceronis, sic tamen comparata sint, ut, si qua ille scriptitaret alia, occasio tantum

---

subtiliter disputata, nemo facile dubitet; at diligentius tamen eadem si examinaveris, nihil inde repetas, quo hanc me operam parum considerate suscepisse arguas; quin etiam illis ipsis aliquo modo supplenda significari ea cognoscas, quae, ubi universa latine scribendi ars ac disciplina esset tractanda, minime potuerint ita absolvi, ut de singulis sermonis generibus nihil desideraretur praeceptionis. Illud modo tenendum, non id hoc loco agi, ut quisquam tenuibus quibusdam admonitionibus ad epistolas plane Ciceronianas scribendas instituatur, sed hoc, ut significentur nonnulla, quae non conveniat fere ab sermone epistolarum singulari ad orationis reliquae communem usum transferre. — Neque vero magis ea, quae C. Fr. Suepfle l. l. p. 41 nuper sic disputavit: «Schon die Menge solcher Begriffe und Beziehungen, welche nur der Sprache des Umgangs, also auch dem Briefe angehörten, veranlasste den Gebrauch von Wörtern und Wendungen, die sich in Cicero's übrigen Schriften nicht finden; sodann aber rief seine Eigenthümlichkeit, seine Genialität im Ausdrucke der Freundschaft und Zärtlichkeit, des Scherzes und Spottes, des Unwillens und der Verachtung viele neue Wörter und Wortformen hervor, die eine grosse, oft überraschende Bereicherung des römischen Sprachschatzes bilden», cavere iubeant quidquam, nisi hoc, ne quis conetur omnem Ciceronis ingenii vim animive agilitatem simul praeceptis complectens cunctam epistolas scribendi artem ac varietatem sic persequi, ut tradat aliis, id quod a meo instituto alienissimum esse, vix iam est quod moneam.

[1]) G. T. A. Krueger in Grammatica latinae linguae § 669. 1) Ciceronis quin sint haec verba: 'Nosti Marcellum, quam tardus et parum efficax sit', cur dubitetur, nihil addit; sunt tamen illa revera Caelii. Similiterque in errorem facile aliquem ducat Raph. Kuehner, a quo (Schulgramm. der Lat. Sprache. 5te Aufl. § 111, 2, f.) haec afferuntur: 'Qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet atque omnia minoris existimare? C. Fam. 4, 5, 2'; quae quidem verba sunt Servii, luculenti sane scriptoris, at ab Ciceronis consuetudine in eo sine dubio recedentis,

eadem usurpandi minus crebra fuerit, quo quidem ex numero illud esse statuas, quod Cicero fere *alicuius manu* in epistolis dixerit vel addito verbo *esse* vel omisso, quod dicendum fuisse putes *alicuius manu scriptum*, velut his locis: Hoc inter coenam Tironi dictavi, ne mirere alia manu esse. Ad Q. fr. III, 1, 6, 19. Tu istic, si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. Ad Fam. XVI, 22, 1. Antequam aliquo loco consedero, neque longas a me neque semper mea manu litteras exspectabis. Ad Att. V, 14, 1.[1]) Nec id mihi nunc concestum nolim, ut non eum plane ordinem, quem soleat fere conservare grammaticorum institutio, teneam, quo sint, quae prius protuli, excipienda ea praeceptione, quae est de casuum usu. Nam continentur sane etiam hoc ipso loco ea satis multa, quae omnium maxime vel sermonis generi tenui cuidam atque incompto, quale plerumque est epistolarum, vel orationi cuidam pressae magis quam exquisitae, dummodo subtiliter atque enucleate persequatur ea, quae communicare scriptor voluerit cum altero quopiam, liberius interdum accomodata esse existimes. Pertinere equidem huc dicam, quae exempli causa hoc tempore afferre liceat, nonnulla, unde accusativi et dativi licentior quidam usus cognoscatur, etiamsi non uni, at maxime tamen epistolarum sermoni quasi adhaerescens. Accusativi enim ratio sine dubio paulum recessit a communi Ciceronis more loquendi his locis: Hic quidem mera scelera loquuntur. Ad Att.

---

quod is cum ceteris optimis Latinitatis auctoribus verbum existimandi cum genetivo eo, quo pretii significationem contineri dicunt, non est solitus Plautino fere more coniungere. Nec is, qui alias etiam talia diligenter curat, Ferd. Schultzius, satis, ne quis deciperetur, cavit in Gramm. lat. § 269, ubi haec leguntur: 'Spero homines seqq. Cic. div. XV 19'; quae tamen ipsa epistola est a Cassio ad M. Ciceronem scripta. Praetermitto alia hoc loco eiusdem generis, quae sunt in promptu haud sane pauca.

[1]) Cf. Ep. ad Q. fr. III, 1, 6, 19 in. Ad Att. IV, 16, 1. VII, 2, 3. VIII, 1, 1. XII, 31, 3, XIII, 28, 3. Ad Q. fr. II, 16, 1. Cui simile illud est, quod legitur Or. Phil. II, 3, 8: 'Sunt enim librarii manu'. Quamquam ne in epistolis quidem participii adiunctionem Ciceronem sprevisse apparet Ep. ad Fam. III, 6, 2. Ad Att. V, 19, 1, VII, 3, 7.

IX, 13, 1.[1]) Catulum mihi narras (h. e. de Catulo narrationem) et illa tempora. Ad Fam. IX, 15, 3.[2]) Illi ad me statim ardentes dolore venerunt, scelus hominis clamantes. Ad Att. XI, 9, 2. Nam ut scis, iam pridem istum canto Caesarem. Ad Q. fr. II, 13, 1. Quomodo autem tibi placebit Jovem Lapidem (bei J. L.) iurare, cum scias Jovem iratum esse nemini posse? Ad Fam. VII, 12, 2. Ipse perpetuum morbum iurabo (eidlich versichern). Ad Att. XII, 13, 2.[3]) Equidem pacem hortari non desino. Ad Att. VII, 14, 3. Hos ego sermones — lacessivi (habe angeregt, hervorgerufen) nunquam. Ad Fam. III, 8, 7. Risi „nivem atram". Ad Q. fr. II, 13, 1.[4]) Si minus in curia atque in foro, at in litteris et libris — navare rempublicam (rüstig Staatsgeschäfte treiben). Ad Fam. IX, 2, 5. Quem antea ne andabatam quidem defraudare (um einen Andabaten berücken, von e. A. hinweglocken) poteramus. Ad Fam. VII, 10, 2. — Addi huc possunt pronomina quaedam et adiectiva sic usurpata, ut accusativus ab adverbii vi prope abesse videatur, licentius quidem quam alias his locis: Trebatioque mandavi, ut, si quid (h. e. quam missionem vel cuius rei missionem) tu eum velles ad me mittere ne recusaret. Ad Fam. IV, 1, 2. Ego, nisi quid (h. e. quam moram) me Etesiae morabuntur, celeriter, ut spero, vos videbo. Ad Fam. II. 15, 5. Nisi quid (h. e. quam violationem) existimas in ea re violari existimationem tuam. Ad Fam. XIII, 73, 2. Si quidquam (h. e. ullum amorem) me amas, hunc lo-

---

[1]) Cf. Ad Att. IX, 13, 8. IX, 2, a. 3. Maxime Livianum non illud modo fuerit, quod M. Seyffertus a Livio poetarum more sic usurpatum dicit Schol. lat. § 28, 3 (Ed. II.) 'Quid loquar?', sed omnis ille eiusdem verbi usus. At tamen Cicero quoque similiter locutus est Or. pro Mil. 23, 63, et, quae quidem continentur dialogo ac disputatione, De Div. I, 32, 68. Parad. VI, 3, 50.

[2]) Cf. Ad Fam. IX, 16, 7. Paulo audacius id ipsum genus ad translationem Cicero deflexerit Lael. 7, 23, probandum si fuerit illud *bonam spem praelucet,* quod quidem quamvis ipse non probaverit, planissime tamen, quomodo interpretandum putaret, M. Seyffertus docuit.

[3]) Cf. Ad Att. I, 1, 1. Ad Fam. V, 2, 7.

[4]) Cf. Ad Fam. VII, 25, 1. Similis plane est Caelii locutio Ad Fam. VIII, 2, 1 et 16, 1.

cum muni. Ad Att. V, 17, 5. Facerem, si me quidquam (h. e. ullam delectationem) istae litterae delectarent. Ad Att. XI, 16, 4.[1]) His temporibus difficillimis reipublicae quidquid subveneris, id erit totum et proprium tuum. Ad Fam. X, 5, 3. Et aliquid in perdita republica delectare. Ad Q. fr. III, 2, 2.[2]) Etsi quid mi auctor es? Ad Att. XIII, 40, 2.[3]) Ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit. Ad Att. II, 1, 1.[4]) Perge reliqua. Ad Att. IV, 11, 1.[5]) Stomachor omnia. Ad Att. XIV, 21, 3. Si recta saperet Antonius. Ad Att. XIV, 5, 1.[6]) — Dativi autem id genus, quo ἦθος inferri solet orationi, haud mirum est, quod omnium maxime frequentatur in epistolarum familiari illo quidem sermone, ut his locis: Hic tibi Rostra Cato advolat. Ad Att. I, 14, 5. At ille tibi *πολλὰ χαίρειν τῷ καλῷ* dicens, pergit Brundisium. Ad Att. VIII, 8, 2. Cum haec maxime scriberem, ecce tibi Sebosus. Ad Att. II, 15, 3.[7]) — Minus vero comptae orationi, qualem dixi esse epistolarum etiam festinantius interdum exaratarum, nescio an inprimis debeatur usus dativi eius, qui ad consilium significandum refertur. Comparare quidem ex ea copia, in qua haec potissimum equidem numerem: De-

---

[1]) Cf. Ad Fam. V, 20, 6 in. Ad Att. XII, 22, 3.

[2]) Cf. Ad Fam. IV, 4, 5. VII, 28, 1. Ad Att. VI, 3, 1. XII, 14, 3 et 4.

[3]) Cf. Ad Fam. VI, 8, 2.

[4]) Cf. Ad Fam. IV, 14, 2. Ad Att. XI, 8, 1.

[5]) Cf. Ad Att. III, 15, 5, quo tamen loco Frid. Hofmann (Ausg. Briefe von Cicero. Herausg. von Fr. Hofmann. 1. Bdchn. Lib. I. ep. 16, 5) audiendum putat *commemorare*. Nondum sanatus Orellio videtur hic locus 'Pergit in me maledicta' Or. Phil. XIII, 19, 40.

[6]) Nonnulla ex toto illo genere collegit C. Fr. Suepfle l. l. ad Ep. LXXVIII, Ed. V. p. 248.

[7]) Cf. Ad Fam. IX, 2, 1. Ad Att. X, 16, 4. II, 8, 1. VII, 19. XIII, 42, 3. XIV, 19, 1. XVI, 13, a, 2. Exstat eo vix maior numerus in ceteris Ciceronis libris omnibus nec is fere, nisi ita, ut additum sit initio Ecce. Cf. Or. pro A. Cluent. 28, 75, pro P. Sest. 41, 89, in L. Pis. 21, 48, Phil. XI, 1, 2. De Or. II, 22, 94. Acad. II, 38, 121. Tusc. Disp. III, 19, 44. De Off. III, 21, 83. Or. pro S. Rosc. Amer. 45, 133.

lectationi,[1]) laetitiae,[2]) voluptati,[3]) consolationi,[4]) solatio,[5]) levationi,[6]) levamento,[7]) adiumento,[8]) ornamento,[9]) praesidio,[10]) gloriae,[11]) usui,[12]) molestiae,[13]) dolori,[14]) offensioni,[15]) stomacho,[16]) spectaculo,[17]) sumptui,[18]) exitio[19]) esse, si voles, alia aut vitata in reliqua Ciceronis locutione aut multo certe minus frequentata reperies, id quod tamen omnium maxime cadat in illud, quo nihil est in epistolis ab illo scriptis tritius, curae esse,[20]) quod varie sane circumscribitur adiunctione aliqua, ut nunc sit additum vel *magnae* vel *summae* vel *tantae* et quae sunt eiusdem generis,[21]) nunc sequatur *ut* vel *ne*, consilium quo designetur, nunc indidem pendeat interrogationis aliquid vel alius explicationis.[22]) At his ipsis se contineat ea, unde etiam

---

[1]) Cf. Ad Fam. VI, 6, 12. Ad Att. XIII, 23, 3. — [2]) Cf. Ad Fam. XV, 2, 5. — [3]) Cf. Ad Fam. I, 7, 11. XIII, 10, 3. XIV, 1, 4. II, 10, 2. Ad Att. XIV, 19, 2. II, 25, 1. — [4]) Cf. Ad Fam. V, 17, 5. — [5]) Cf. Ad Fam. IX, 1, 1. VI, 6, 12. — [6]) Cf. Ad Fam. VI, 4, 5. — [7]) Cf. Ad Att. XII, 43, 1. — [8]) Cf. Ad Fam. XIII, 29, 6. XIV, 18, 1. XIII, 30, 2. XIII, 38; 39; 46; 77, 2. Ad Att. XII, 31, 2. Ad Fam. XIII, 24, 1. II, 6, 3. — [9]) Cf. Ad Fam. XV, 14, 6. XI, 22, 1. XIII, 36, 2. XIII, 34. — [10]) Cf. Ad Fam. XV, 2, 4 et 7. XV, 14, 6. Ad Q. fr. I, 3, 2 et 4. Ad Att. XVI, 11, 6. IX, 1, 3. Ad Fam. III. 10, 3. III, 10, 9. — [11]) Cf. Ad Fam. V, 12, 7. XIV, 1, 4. X, 5, 2. — [12]) Cf. Ad Fam. XIII, 16, 2. XIII, 35, 2. Ad Att. I, 1, 3. VII, 12, 5. Ad Fam. XIII, 49. XII, 29, 3. Ad Att. I, 2, 2. Ad Fam. XIII, 10, 3. IV, 3, 3. XIII, 71. — [13]) Cf. Ad Fam. VI, 2, 1. — [14]) Cf. Ad Fam. VII, 2, 3. Ad Att. XI, 10, 1. Ad Fam. VI, 10, 1. XIV, 5, 2. Ad Att. II, 19, 2. — [15]) Cf. Ad Att. XIII, 23, 3. — [16]) Cf. Ad Att. V, 1, 4. — [17]) Cf. Ad Att. X, 2, 2. — [18]) Cf. Ad Att. V, 14, 2. — [19]) Cf. Ad Q. fr. I, 4, 4.

[20]) Cf. Ad Fam. I, 9, 22. III, 8, 9. XII, 17, 1. XIII, 11, 2; 14. 2; 28, a, 2; 57, 2; 73, 1. XVI, 4, 4; 19. Ad Att. I, 7. V, 11, 6; 13, 2. XIV, 10, 3. XV, 3, 1.

[21]) Cf. Ad Fam. II, 11, 2. VI, 5, 1. IX, 24, 1; XIV, 19; XV, 2, 4; 2, 8. Ad Att. XI, 6, 4. — Ad Att. XII, 37, 3. XV, 2, 1. XVI, 6, 3. — Ad Fam. VI, 3, 4; 5, 1. XII, 1, 2. — Ad Att. I, 1, 1. — Ad Fam. VI, 2, 1; 10, 1. — Ad Fam. I, 9, 24. II, 6, 3. XV, 2, 5. — Ad Fam. IX, 16, 2. XV, 11, 1.

[22]) Cf. Ad Fam. III, 3, 1. XIII, 68, 2. Ad Q. fr. III, 1, 1, 1. Ad Att. X, 10, 6. XIV, 11, 2. Ad Fam. III, 5, 2. X, 27, 1. Ad Att. XII, 37, 2. Ad Fam. VII, 18, 1. XI, 27, 5. XV, 3, 2. Ad Q. fr. II, 14, 2. Ad Att. I, 5, 2. — Ad Fam. XV, 13, 3. Ad Q. fr. II. 4, 1. Ad Att. VI, 2, 2. — Ad Fam. XII, 19, 3. — Ad Att. IV, 16,

casuum usum paulo licentiorem rem in epistolis Ciceronis reperiri satis appareat, enumeratio. Hoc quidem tempore de ea maxime illius proprietatis parte placet exponere, unde tanto facilius possit licentia quaedam cognosci scriptionis, quod, quum sit magis res in exiguum angustumque conclusa, tamen inprimis illam uberem esse putem ad praeceptionem hanc persequendam, infinitivi et accusativi cum infinitivo usum dico, quem locum vix negabis haud pauca habere in epistolis Ciceronis a cetera eiusdem quoque scriptoris oratione vel aliquo modo abhorrentia vel plane aliena.

Atque hoc equidem loco ea, quae quum primum quaedam praecipere statuissem de sermone epistolarum Ciceronianarum proprio, generatim atque universe praefanda duxi,[1]) minime mihi rescindenda arbitror; eorum tamen summam quoniam supra iam in memoriam reduxi, hoc unum nunc addendum videtur, Ciceronem, quum perspicue explicare modo ea, quae essent cum aliquo communicanda, in epistolis vellet effunderetque multa saepe verbis non solum attenuatis, verum etiam, si occasio ferret, quam maxime vel tritis vel inusitatis ac novis, dummodo rem explanantibus idque, quod expromere liberet, prorsus declarantibus, eundem varietatem quandam sermonis, praesertim si idem crebrius esset deinceps vel tractandum vel attingendum, non tam illam quidem ornatius orationis luminibus distinctam quam rei cuique propter mutatam tamen, ut fit, condicionem scribendi etiam locutione quamvis leviter mutata accommodatam minime spernere solitum esse. Ea enim ipsa varietas spectata in

---

4. V, 13, 3. VII, 5, 2. XII, 49, 2. XIV, 18, 3. Ad Fam. X, 1, 1. Ad Att. XI, 6, 3. Exstant apud Ciceronem alias hi fere loci: Accus. III, 60, 137. IV, 33, 73. Or. de imp. Cn. Pomp. 7, 17, Phil. II, 40, 104. III, 3, 7; 15, 39. De Inf. I, 53, 101, De Fin. III, 2, 8. Tusc. Disp. I, 14, 31. Lael. 12, 43; quibus adiungere liceat id, quod in epistolis semel quum scripserit Ad Att. V, 3, 3, *cordi esse,* in ceteris libris paulo minus aspernatus est, velut Or. pro P. Quinct. 30, 93. Acc. I, 44, 112. Or. 16, 53. Lael. 4, 15, ad quem quidem locum M. Seyffertus solere illa, *curae cordique esse,* apud scriptores praeter ceteros probatos coniungi recte negat.

[1]) Cf. Commentat. addit. annalibus Gymnas. reg. Oppoliensis a MDCCCXXXXIX.

ea praecipue parte, quae nunc est tractanda, quin aliquam vim habuerit ad orationem non solum electione, verum etiam constructione verborum aliter, atque commendare videretur reliquus Ciceronis usus loquendi, conformandam, vix potest dubitari. Quod autem licuerit eidem illi loco, de quo iam est agendum, saepius brevitatem quandam distincte ac significanter concisam accommodare, quae minime esset ab epistolarum universo illo pressius scribendi genere aliena, accessisse etiam hanc ibidem causam facile statuamus ad frequentanda quaedam a ceteris Ciceronis libris vel plane remota vel propemodum seiuncta.

Iam grammaticorum praeceptio quum haec esse soleat, ut aut subiecti aut obiecti vim inesse in infinitivo vel in accusativo cum infinitivo doceant, ea etiam hoc loco tenenda videtur divisio, unde quidem supra dixi puerilis institutionis rationem non esse exclusam. Infinitivi igitur, de quo primum separatim exponendum, genus id, quo subiectum enuntiati continetur, primum ita maxime in epistolis Ciceronis varie frequentatur, ut sit aptum ex verbis capti consilii vel propositi quiddam indicantibus. Atque ex eo numero declarationem voluntatis minime certae illa putes generali, ut ita dicam, susceptae rationis significatione contineri, qua quid alicui in animo esse dicitur, id quod haec inprimis, satis inter se ipsa quoque diversa quae sunt, illustrent: Mihi est in animo (Ich habe im Sinne, bin gesonnen) proficisci XI Kal. Ad Att. XIII, 10, 3. Erat mihi in animo recta proficisci ad exercitum, aestivos menses reliquos rei militari dare, hibernos iuris dictioni. Ad Att. V, 14, 2. Nobis erat in animo Ciceronem ad Caesarem mittere et cum eo Cn. Sallustium. Ad Fam. XIV, 11.[1]) — Omissus

---

[1]) Cf. Ad Fam. II, 13, 3. Ad Att. III, 21. III, 26. VI, 8, 2. Cn. Domitii ad illam similitudinem composita verba perhibentur Ad Att. VIII, 12, C, 1. C. Antonii Ad Att. XIV, 13, A, 2. Quod legitur ad Att. II, 5, 2, 'Sic, inquam, in animo est', vix ita est interpretandum, ut intelligatur infinitivus, sed ita, ut *sic* et *est* inter se artius cohaereant hac vi: So liegt es in meinem Sinn, dahin steht mein Sinn. Recessit ab illo usu loquendi, consilium quidem planius declarans, ipse Cicero in his: Tamen hoc erat in animo, ut cum iis in republica consentirem. Ad Att. IV, 5, 1.

dativus, sed ita, ut facile audiatur, in his est: Itaque erat in animo nihil festinare. Ad Att. V, 12, 1.[1]) Cognatum quodammodo est id, quod legitur ad Fam. II, 13, 2: Quid est causae, cur mihi non in optatis sit complecti hominem florentem aetate seqq.? — Progrediuntur inde ad voluntatis paulo confirmatioris significationem haec: Stat, certum, certius, certissimum est, et si qua sunt vi ac potestate propinqua, velut: Deliberatum, iudicatum, constitutum est adiuncto item fere dativo personae. Sunt autem huc omnium maxime haec referenda: Modo stet nobis illud (wenn für uns nur die Absicht fest steht, das eine feststehende Sache ist) una vivere in studiis nostris. Ad Fam. IX, 2, 5.[2]) Et eo consule Pompeio certum est (es ist für P. entschiedene Absicht) esse in Hispania. Ad Att. VII, 9, 3.[3]) Mi autem abiurare certius est (Ich bin eher entschlossen) quam dependere. Ad Att. I, 8, 3. Cum illi certissimum sit (da es für ihn eine ganz entschiedene Sache ist), si possit, exspoliare exercitu et provincia Pompeium. Ad Att. X, 1, 3.[4]) Mihi vero deliberatum est (Für mich ist es reiflich erwogene Absicht) — abesse ex ea urbe, in qua non modo florui, verum etiam servivi cum ali-

---

[1]) Ceteri Ciceronis libri hos modo locos habeant similes: Or. pro Sex. Rosc. Am. 32, 91. Acc. I, 11, 32; 33, 48. IV, 61, 137. De N. D. II, 7, 20. Plane Livianum illud esse neminem facile fugiat. Cf. tamen maxime Praef. 6. I, 28. VI, 6. X, 25; 39. XXI, 31. XXXIV, 49. XXXVII, 20; 53. XXXIX, 39. XXXX, 56. XXXXII, 36.

[2]) Sententia stat similiter apud Livium scriptum reperitur XXI, 30. XXXXIV, 3. Conferri aliqua ex parte potest illud: Neque adhuc stabat, quo potissimum sc. nos converteremus. Ad Att. III, 14, 2.

[3]) Omisit Guil. Freund. (Wörterb. der lat. Sprache. 1. B. S. 725) Ciceronis mentionem facere, quum antiquiorum illud fere scriptorum, maxime Plauti, esse vellet.

[4]) Cf. Ad Att. II, 24, 2. XIII, 7, 1. XV, 19, 2. X, 4, 8 s. f. VII, 3, 11, quo quidem loco infinitivum facile intelligas. 'Nihil esse certius, quam ut seqq.' legitur Ad Att. X, 4, 8. Similia Cicero extra epistolas his tantum locis habeat: Or. pro Sex. Rosc. Am. 11, 31 et 30, 83, quorum locorum ad priorem G. Tischer vix satis recte dixit (Zeitschr. für das Gymnasialw. 13. Jahrg. S. 935) plerumque abesse *mihi*. Act. in C. Verr. I, 18, 53. Or. pro A. Caec. 9, 24; pro A. Cluent. 1, 1. De Or. II, 33, 144.

qua dignitate. Ad Att. XV, 5, 3.[1]) Neque illi quidquam deliberatius fuit quam me, quacunque ratione posset, non iudicio neque disceptatione, sed vi atque impressione evertere. Ad Fam. V, 2, 8. Mihi enim iudicatum est (Es ist für mich entschieden, ich bin entschieden), si modo Caesar aut patietur aut volet, deponere illam iam personam. Ad Fam. VII, 32, 2. Quod iam a multis audio constitutum esse Pompeio (eine beschlossene Sache für P.) — in Siciliam me mittere. Ad Att. VII, 7, 4.[2]) — Magis ad facultatem commoditatemque quidpiam agendi vel oblatam vel subtractam extenuatamve illius generis similitudinem aliquam referri dicas in aliis quibusdam, quae sunt vel singularia, sicut haec: Sed inprimis opportunum (ein besonders günstiger Umstand) videtur, his praesertim temporibus, habere perfugium. Ad Fam. VII, 20, 2. Reliquum (h. e. unum iam concessum) est iocari, si hic sinat. Ad Att. VII, 5, 5.[3]) Nam propter opera instituta multa multorum subitum (h. e. parum adhuc deliberatum, es kommt ihm zu plötzlich) est ei remigrare Kal. Quintilibus. Ad Fam. XIII, 2. Vereor, ne putidum sit (nach Uebertreibung aussehe) scribere ad te, quam sim occupatus. Ad Att. I, 14, 1; vel saepius quidem usurpata, at eadem ne a cetera quidem Ciceronis scriptione plane seiuncta, ex quo genere haec sunt: Est bellum aliquem libenter odisse.

---

[1]) Non norat illum locum Guil. Freund. l. l. s. v. *Deliberatum*, praetermisit certe Reinh. Klotz. (Handwörterb. der lat. Sprache. 1. B. S. 1236). Similiter Ciceronem Acc. V, 71, 183 modo locutum esse reperias.

[2]) Idem legitur Acad. II, 3, 9. Coniuncta sunt *deliberatum* et *constitutum* Or. de l. agr. I, 8, 25.

[3]) Omissum est *considerare* vel *ut consideretis* propter verbum id ipsum interpositum, ut hinc iam apta sint sequentia, hoc loco: Reliquum est, quod ipsae optime considerabitis, vestri similes feminae sintne Romae. Ad Fam. XIV, 14, 1. G. Freund. l. l. Vol. IV, p. 94 et R. Klotz. l. l. Vol. II. p. 1116. Sallust. tantum Hist. Fragm. III, 22 ad illam sermonis consuetudinem comprobandam afferunt. Inter solutae orationis scriptores illud similiter dixit Livius (XXXXIV, 4): Nec aliud restabat quam corrigere. — Enuntiatum, ipsum per se quod constet, sequitur Ad Fam. XV, 21, 5 et, quae sunt Dolabellae verba, IX, 9, 3.

Ad Att. XIII, 49, 2.[1]) Verum tamen scire omnia non acerbum est, vel de Cotta. Ad Att. XIII, 44, 1.[2]) Grave est — homini petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet. Ad Fam. II, 6, 4.[3]) Mihi dubium non est, quin hoc tempore bono viro Romae esse miserrimum sit. Ad Fam. VI, 1, 1.[4]) — Accedunt pauca, ubi certae actionis verbum, non *esse* cum attributione praedicati loco est. Quae tamen quoniam non ipsa rei natura differunt ab iis, quae modo sunt prolata, loci huc pertinentes continuo consequantur maxime ii, quibus quid imprudenter praetermissum verbo fugiendi significatur cum accusativo personae coniuncto, velut his: Cui rei fugerat me rescribere (Worauf ich vergessen hatte zu antworten), de strue laterum, plane rogo. Ad Att. V, 12, 3. Non te fugiet uti auxilio Bibuli. Ad Fam. XII, 19, 2.[5]) — Nec multum ab ea similitudine loquendi recedat illud: Quod dicturus sum, puto equidem non valde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest (aber dennoch kann es nichts schaden) dicere. Ad Fam. IX. 13, 4.[6]) — Denique non sunt hinc seiungenda illa

---

[1]) Cf. Ad Fam. IX, 2, 3. Ad Att. II, 17, 2. Pauca eiusdem generis nec ea fere nisi in dialogo ac disputatione ad loquendi licentiam aliquanto liberiore exstant apud Ciceronem alibi, ut De Or. I, 58, 247. De N. D. I, 30, 84. Or. pro L. Flacco 17, 39.

[2]) Cf. Ad Fam. VI, 4, 3. Quae Or. Phil. XIII, 11, 24, leguntur, ea nec Ciceronis sunt verba nec eiusdem plane generis.

[3]) Cf. Ad Fam. XIII, 5, 2. Ad Att. I, 5, 4. XIV, 14, 5. Similiter locutus est Cicero Or. pro L. Mur. 3, 7. Additum est *difficile* De Inv. II, 45, 130.

[4]) Cf. Ad Fam. VI, 3, 3. Ad Att. IX, 5, 1 et 15, 3. Duo tantum praeterea exstent apud Ciceronem loci similes Or. Phil. II, 25, 61 et De Fin. I, 14, 49.

[5]) Cf. Ad Q. fr. II, 12, 4. Ad Att. VII, 18, 3. XIII, 21, 5 et 51, 1. Aliam esse rationem eorum, quae leguntur De Or. I, 29, 253: 'Sed tamen non fugisset hoc Graecos homines, si ita necesse esse arbitrati essent, oratorem ipsum erudire in iure civili' diligentius comparanti facile appareat. Ferd. Schultz. in Gramm. linguae lat. § 383 Annot. cur *fugit me* inter ea verba referens, quibus infinitivus adiungi sit solitus subiecti loco, noluerit cum ceteris aequari, quae illic proponuntur, non satis perspectum habeo. Alibi quidem vir idem ille doctissimus sermonem epistolarum Ciceronianarum in illustrandis iis, quae de linguae latinae ratione ac proprietate praecipit, minime solet repudiare.

[6]) Unum, quo eum usum comprobent, locum G. Freund. et R.

ad licentiam eandem in epistolis Ciceronis comprobandam insignia: Dolabellam antea tantum diligebam; obligatus ei nihil eram — nec enim acciderat mihi opus esse (denn es war mir nicht vorgekommen seiner zu bedürfen). Ad Fam. VI, 11, 1, quo quidem loco scribi *ut opus esset* ita facile potuisse, ut nihil admodum mutaretur sententia, vix neges,[1]) indicaritque id ipsum Frid. Haase ad Reisigii schol. grammat., ubi Annot. 505 id modo docetur, infinitivo multo minus definitam eius, quae intercedat inter notiones quasque, rationis significationem contineri.[2]) — Illud quidem nec faciendum est nec fieri potest (h. e. minime patiendum est), me diutius, quam aut tuum tempus aut firma spes postulabit, in tam misera tamque turpi vita commorari Ad Q. fr. I, 3, 6.

Iam ad infinitivi id genus exemplis illustrandum, quod verba transitiva sic adiunctum habent, ut eo ipsum obiectum contineatur, quum sit accedendum, licentius quidem usurpata, eum locum in epistolis Ciceronis pauca habere reperias, minime tamen ea, ut negligenda sint. Referam equidem huc vel illa: De republica nihil habeo ad te scribere, nisi summum odium omnium hominum in eos, qui tenent omnia.

Klotz. in iis, quos supra laudavi, libris afferunt s. v. *Obsum,* Ovid. Fast. IV, 755.

[1]) Alia est de illo loco sententia ab Rudolpho Stuerenburg ad Cic. Or. pro Arch. poeta 3, 4, prolata. Quamquam is quoque illud modo artificiosius statuisse videtur, quod alteram illo loco verborum constructionem redarguens infinitivi licentiam a Graeci sermonis similitudine repetendam dixit; minime autem inscite comparavisse videtur cum illo, quod est a Cicerone scriptum, id, quod vitandum fuerit propter asperitatem quandam, *nec enim acciderat mihi indigentia.*

[2]) Verba ipsa, quorum quidem vis ac sententia paulo latius patet, haec sunt: Hier mag zugleich bemerkt werden, dass nach denselben Verbis ausser quod und ut auch der Infinitiv gebraucht wird, der im Ganzen allerdings mehr dichterisch und erst nach Cicero in der Prosa gewöhnlich ist, und zwar giebt er seiner Natur nach eine viel unbestimmtere Bezeichnung des Verhältnisses der Begriffe zu einander, so dass er die Bedeutung von ut und quod zugleich umfasst. Sermonem familiarem Servii, non Ciceronis, hunc esse (Ad Fam. I, 12, 1): 'Visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, vos certiores facere' iam Orellius significavit.

Ad Att. II, 22, 6. De Alexandrina re causaque regia tantum habeo polliceri, me tibi — cumulate satisfacturum. Ad Fam. I, 5, a, 3; siquidem alias apud Ciceronem dicendi[1]) tantum opportunitas, quae cui sit oblata, illo modo solet significari.[2]) At maiorem varietatem Cicero in iis verbis cum infinitivo ea, qua dixi, ratione coniungendis praecipue epistolis reservasse videtur, quae rei cuiusque agendae modum quendam spectant, quo quidem in genere inprimis vel apparandi atque accelerandi vel contra ratio aliqua solet intercedere. Pertinent autem illuc maxime haec: Sic hominem traducere ad optimates paro (mache Anstalten etc.). Ad Att. XIV, 21, 4. Nunc publice litteras Romam mittere parabam. Ad Att. V, 20, 7.[3]) Te exspecto et oro, ut matures venire (dass du eilig kommst). Ad Att. III, 8, 1.[4]) Tu, quaeso, festina ad nos venire. Ad Att. III, 26.[5]) Ut non sit dubium, quin turpiter facere cum periculo fugiamis, quod fugeremus etiam cum salute. Ad Att. X, 8, 5.[6]) Ille

---

[1]) Cf. Ferd. Schultz. Gr. l. l. § 414. Annot. 2, f.

[2]) Cf. Or. pro Sex. Rosc. Am. 35, 100. De N. D. III, 39, 93. Or. pro L. Corn. Balbo 14, 33. De part. or. 3, 10; 8, 27. Acad. II, 14, 43. De Div. II, 66, 136. Translata sunt ex Graeco in Latinum, quae leguntur. De N. D. I, 23, 63.

[3]) Cf. Or. pro Q. Rosc. Com. 14, 40. Or. Catil. II, 6, 13. De Div. II, 37, 78, quae tamen etiam ipsa habent, cur paulo licentius potuerint enuntiari. Caesarianum autem ac magis etiam Livianum illud esse nemo facile neget, qui norit utrumque scriptorem.

[4]) Similiter locutus est Plancus Ad Fam. X, 21, 2. Rerum tantum scriptoribus illud genus non iam attribuit M. Seyffert. in Pal. Cicer. Ed. II. Mat. IV, c. 1, 4, quo tamen ipso loco quae praecipiuntur de adverbio, apte si velis illa convertere, fere adhibendo, id quod etiam Frid. Kritz. breviter attigit ad Sallust. Catil. 18, 8, minime negligenda sunt. Maxime illum usum frequentavit Livius, velut: II, 38, 5. III, 43, 7. IX, 43, 10. X, 15, 7. XXIX, 12, 4. XXXX, 26, 4. XXXXIV, 36, 4; al.

[5]) Cf. Ad Fam. III, 6, 2. VII, 23, 4. Pollionis verba exstant Ad Fam. X, 33, 3. Unus alibi locus apud Ciceronem, Or. Phil. III, 9, 24, idem illud verbum in simili habeat consecutione.

[6]) Deest fere locus supra allatus in vocabulorum linguae latinae indicibus atque ita, ut poëtarum modo attribuendus videri possit omnis ille usus. At exstant similiter enuntiata etiam his Ciceronis locis: Or. pro L. Mur. 5, 11 et De Or. III, 38, 153, quorum tamen neuter omni ex parte comparari potest cum illo. Commemorare hoc loco obliviscendi

in Achaia non cessat de nobis detrahere. Ad Att. XI, 11, 2.[1]) Tu, quaeso, quidquid novi, — scribere ne pigrere. Ad Att. XIV, 1, 2. — Denique eodem referendum putes illud: Neque aliud iam quidquam πολιτεύομαι nisi odisse improbos (Und meine gesammten Staatsgeschäfte laufen bereits darauf hinaus, die Schlechten zu hassen). Ad Att. II, 6, 2.

Animi vero quandam inductionem si vellet significare, in epistolis cogitandi verbo Ciceronem ita, ut cum infinitivo illud coniungeret, paene delectatum esse facile legentibus appareat. Ac sunt eius generis haec, quae, quam fuerit varie universae illi locutioni adiuncta vel cura ac spes consilii cuiusque explicandi vel metus parum proficiendi, eadem satis declarent: Bibulus ne cogitabat quidem etiamnunc in provinciam suam accedere. Ad Att. V, 16, 4. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare. Ad Att. XII, 19, 1. Ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Kal. Maias. Ad Fam. XIII, 57, 1. In Formiano sunt, quo ego nunc proficisci cogitabam. Ad Att. I, 4, 3. Plura scribere non debeo, praesertim ad te, quo magistro brevitatis uti cogito. Ad Fam. XI, 15, 2. Nunc vero — cum omnibus musis rationem habere cogito. Ad Att. II, 5, 2. Itaque cogitabam — aliquid efficere seqq. Utinam modo conata efficere possim! Ad Att. IV, 16, 2. Nam nos quidem, si per istum tuum sodalem Publium licebit, σοφιστεύειν cogitamus. Ad Att. II, 9, 3.[2]) At ne in reliquis quidem Ciceronis libris quo-

---

verbum, cuius Ad Fam. VII, 14, 1. (Quodsi scribere oblitus es seqq.) et Ad Att. VI, 1, 20 (Deinde me obsecras amantissime, ne obliviscar vigilare seqq.) similis quidem est usus, at non alius Or. pro P. Quinct. 17, 54, Acc. IV, 12, 25, De N. D. II, 4, 11, ideo liceat, quod fere neglecta adhuc est Ciceronis in ea re omnis auctoritas.

[1]) Cf. Ad Q. fr. II, 2, 2. A familiaris sermonis consuetudine parum recedat universus ille locus, qui est Or. in L. Pis. 25, 59.

[2]) Cf. Ad Fam. III, 8, 5. Ad Att. VI, 1, 2. IV, 12. Ad Q. fr. II, 7. Ad Att. II, 9, 4. VII, 15, 3. Ad Fam. IX, 25, 1. Ad Att. I, 17, 1. X, 11, 4. Ad Fam. III, 3, 2. IV, 1, 2. II, 17, 4. VII, 5, 1 et 26, 2. Ad Fam. XII, 23, 2. Ad Q. fr. III, 1, 7, 24. Ad Att. I, 1, 1. IV, 17, 3. V, 2, 1. VI, 1, 4 et 12. VII, 11, 5. VIII, 11, 2 et 15, 1. X, 17, 1 et 4. XI, 17, 1. XII, 32, 2 et 38, 4. XIV, 19, 6. XVI, 8, 1.

niam desunt similia,[1]) magis huc eam, quam esse plane propriam epistolarum ab illo scriptarum vulgo concedunt,[2]) referam consuetudinem, ut expleatur cogitandi notio, si quid sit intelligendum,[3]) intelligendo alicuius verbi infinitivo, quod quidem omnium maxime cadat in significationes itinerum mansionumve mente conceptarum. Sunt autem ex eo numero haec: Inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum, Romam ad Kal. Iun. Ad Att. II, 8, 2. Beneventum cogitabam hodie. Ad Att. V, 3, 3. In Tusculanum hodie, Lanuvii cras, inde Asturae cogitabam. Ad Att. XIV, 2, 4.[4]) Cognatum denique quin sit superioribus vi ac potestate id, quo quis *in animo habere* aliquid dicitur, velut in his: Lucceium scito consulatum habere in animo statim petere. Ad Att. I, 17, 11, dubium est minime; itaque subiungere, quamvis a cetera Ciceronis locutione non abesse cognossem, huic loco illud non dubitavi, praesertim quum etiam illic in tenui maxime dictione adhibitum videretur.[5])

---

[1]) Cf. Or. pro Sex. Rosc. Am. 19, 53. Acc. III, 72, 169. V, 57, 147 et 68, 174. De l. agr. I, 4, 13 et 6, 18. II, 28, 75 et 29, 79. Or. pro P. Sulla 24, 68; pro P. Sest. 38, 81 et 83; in P. Vat. 8, 19; pro M. Cael. 15, 35; pro Cn. Planc. 20, 49; pro T. Ann. Mil. 20, 53. Brut. 83, 287. Top. 2, 7. De Fin. III, 5, 19. De Rep. II, 3, 5. De N. D. III, 1, 4. De Div. II, 70, 144. De Off. I, 7, 24. III, 2, 6. Tim. 10.

[2]) Cf. G. Freund. l. l. s. v. *Cogito* II, d.

[3]) Non tam ellipsin ad explicandum adhibendam esse quam, quod loci fere alicuius significatio sane adiuvet, ultro subesse aliquod eundi, proficiscendi, commorandi consilium R. Klotz. statuit l. l. s. v. *Cogito* fin. Non tamen de omnibus locis pariter id dictum velim.

[4]) Cf. Ad Fam. VII, 4. Ad Att. IV, 16, 12. V, 15, 3 et 20, 9. VI, 2, 6. VII, 4, 3. VIII, 16, 2. IX, 9, 2. XII, 8. XIV, 10, 1. XV, 17, 2. XVI, 2, 4. Ad Fam. XVI, 17. Ad Att. II, 13, 2. IX, 1, 2. XIV, 18 fin. XII, 1, 1. XIV, 21, 4. XV, 25, 1. *Nonnunquam* (Einigemal) sic placuisse Ciceroni in epistolis scribere, quod dicit G. Freund. loco modo laud., in tanto numero, cui addi etiam potest *velle* ad illam similitudinem accommodatum Ad Att. VIII, 1, 3 et XV, 25, id vix iam satis distincte dicatur.

[5]) Cf. Ad Fam. XI, 6, 2. Similiter loquitur Cn. Pompeius Ad Att. VIII, 2, C, 1, Servius Ad Fam. IV, 12, 2. Comparandi autem hi sunt loci: Or. pro Sex. Rosc. Am. 18, 52. Acc. II, 28, 69 et 61, 149. IV, 30, 68. De Div. I, 27, 56. Usurpavit idem illud omnium maxime Livius.

Iam ea verborum constructio, quam solent vocare accusativum cum infinitivo, quem habeat in epistolis Ciceronis usum a ceteris eiusdem generibus scribendi quodammodo abhorrentem, quum sit declarandum, de universa eius rei vi ac ratione, de qua etiamnunc quidem viri docti inter se dissentiant, tanto magis tamen videtur vitandum, ne copiosius exponam hoc loco, quod suis tota haec commentatio terminis concludenda est; sufficiatque ad omne consilium huius quaestionis explicandum ea praeceptio, qua in libris de grammatica ratione ac proprietate latinae linguae diligentius conscriptis fere utuntur ii, qui scholarum maxime utilitatem spectant.[1]) Quarem ne distributionem quidem eius loci illam usitatam nunc mihi aspernandam puto, ut verba primum ea, quibus sentiendi ac dicendi notio, tum, quibus voluntatis, denique quibus affectuum animi significatio contineatur, illustrare solent. Atque est hoc loco omnium maxime id tenendum, Ciceronem illud potissimum spectantem, ut, quod esset dicendum, perspicue exprimeret locutione omni ornatu nudata, praeter cetera verba eius generis, unde penderet fere accusativus cum infinitivo, ea usurpare in epistolis solitum esse, quibus distinctius ac significantius argutiusve ac non fere sine insigni quadam brevitate suo quidque loco exprimeret. Factum est igitur primum, ut ad verba ex sentiendi notione nuncupatis id accederet, quo facillime quidvis mente penitus comprehendi vel ita teneri significaretur, ut non iam posse surripi videretur, habendi verbum dico, quo quidem ita potissimum in epistolis Ciceronem usum esse dudum animadversum est ac notatum.[2]) Ac maxime sic illud frequentari solet, ut is, ad quem

---

[1]) Accuratius eum locum scholarum maxime ratione habita explicatum si quis velit cognoscere, Guil. Weissenborn. ei adeundum equidem iudicem, qui in Gramm. lat. (Lat. Schulgramm. § 316) perscienter ac percommode eam ipsam partem persecutus videtur. Singulari quidem et diligentia et subtilitate eandem rem pertractavit Guil. Herm. Blume (Gymnasium zu Wesel. Einlad. zu den öffentlichen Prüfungen und Redeübungen am 29. und 30. August 1850).

[2]) Cf. M. Seyffert. ad Cicer. Lael. Comment. c. 2, § 10. Wörterb. der Lat. Sprache von Dr. Wilh. Freund. 2. B. S. 799.

scribitur, ea, quae cum ipso communicantur, penitus sibi quasi tradita existimare iubeatur, praemissis fere illis, quibus sequentia commonstrentur: *Id*, *hoc*, *tantum*, *sic*, et si qua sunt ex his conflata vel alia eiusdem generis. Sunt igitur ex illo numero haec: Id primum ergo habeto, non sine magna iustaque causa hanc a me commemorationem esse factam. Ad Fam. XIII, 29, 2. — Tantum habeto, civem egregium esse Pompeium. Ad Fam. II, 8, 2. — Sic tamen habeto, si feceris, quod rogo, fore mihi gratissimum. Ad Fam. XIII, 1, 6.[1]) Sic habeas, nihil mehercule te mihi nec carius esse nec suavius. Ad Att. V, 1, 5.[2]) — Hoc iam sic habeto, nec hoc exercitu nec hic tanta negotia geri potuisse. Ad Att. V, 20, 1. — Illud quidem sic habeto, nihil nobis expeditis, si valebimus, fore fortunatius. Ad Q. fr. II, 15, b, 3. Illud velim sic habeas, quod intelliges, hac re novata additum potius aliquid ad meum erga te studium. Ad Fam. III, 13, 2. — Comprehendi autem breviter, quae dici etiam possint, solere illo genere loquendi, si non satis apparuerit ex iis, quae modo sunt allata, haec maxime comprobent: Brevi tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut iis bonis, quae tibi natura, studio, fortuna data sunt, facilius omnia, quae sunt amplissima in republica, consequi possis quam muneribus. Ad Fam. II, 3, 1. Unum hoc sic

---

[1]) Cf. Ad Fam. I, 7, 4. II, 10, 1. III, 12, 3. VI, 17, 2. IX, 16, 2. XVI, 4, 4. Ad Q. fr. II, 16, 1. Ad Att. IX, 7, 2. Ceterorum librorum his tantum locis similiter Cicero locutus fuerit: Acc. IV, 58, 131. De Rep. VI, 13, 13 et 24, 26. Tusc. Disp. III, 6, 13. De Leg. I, 5, 16. III, 5, 12. Ad consilii significandi vim ac potestatem illud retulit Sallust. Iug. c. 114, 2.

[2]) Uno imperativo in illo genere usum esse Ciceronem quum minus recte docuisset M. Seyffert. ad Cic. Lael. 2, 10, mutavit sententiam 25, 91 (p. 518) propter haec verba: 'Sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse maiorem, quam adulationem', adiungens ille quidem etiam haec: 'Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates — a diis se habere'. De N. D. III, 36, 86. Addi autem poterant haec: Hodie omnes sic habent — istum clam a piratis ob hunc archipiratam pecuniam accepisse. Acc. V, 25, 64 et Or. pro M. Cael. 2, 3 quae leguntur.

habeto, si a te hanc rem impetraro, me paene plus tibi quam ipsi Miloni debiturum. Ad Fam. II, 6, 5.[1])

Additum est ad asseverandi vim augendam *certum*, velut: Hoc vero certum habeto, nisi ille veteranos celeriter conscripsisset —, nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis praetermissurum fuisse. Ad Fam. X, 28, 3.[2]) — Proximeque accedunt illa ad res plane compertas atque exploratas referenda: Nihil enim certi habebamus (wussten nichts Gewisses) nisi accepisse nos tuas litteras a. d. XIV, Kal. Sext. da-

---

[1]) Cf. Ad Fam. VII, 18, 1. Ad Q. fr. I, 2, 1, 3. Ad Att. II, 25, 1. Quae variata videantur illa locutione, his maxime locis agnoscas, ubi *Hoc scito, Sic tibi persuade, Sic existimes* similiaque reperiuntur usurpata: Ad Fam. V, 7, 1. III, 1, 1. VII, 10, 4. IX, 13, 2. IX, 24, 4. XI, 5, 3. XI, 6, 3. XII, 1, 2. XV, 4, 11 et 16. IV, 4, 3. XII, 6, 2. XII, 17, 3. XIII, 26, 4. XIII, 28, a, 2. XIII, 32, 2. XIII, 45. XIII, 65, 2. XIII, 72, 2. XIV, 4, 6. Ad Att. II, 7, 4. Ad Fam. XII, 29, 2. V, 2, 6. XIII, 28, 1. V, 8, 3.

[2]) Cf. Ad Fam. III, 8, 2. Ad Att. XIV, 13, A, 3, quae quidem sunt Antonii verba. Illius accessionis quandam similitudinem si libeat, praesertim ex epistolis, comparare, haec, quae non idem illud quidem verbum habent omnia, at id tamen fere, quod propter eandem notionem rei mente comprehensae ab illius vi ac potestate non admodum discrepat, in promptu sunt: Qui transierint senatores, scribam ad te, cum certum habebo (Gewissheit haben werde). Ad Att. IX, 9, 4. Cf. Ad Fam. XII, 5, 1. Ad Att. I, 13, 1. IV, 16, 15. X, 10, 1. XII, 40, 5. Qui sermo fuerit et quid actum sit, scribam ad te, cum certum sciam (Gewisses, gewiss wissen werde, de qua ipsa interpretatione conf. Frid. Haas. l. l. Annot. 249). Ad Att. VII, 13, b, 7. De Oropo, opinor, sed certum nescio (Gewisses weiss, Gewissh. habe ich nicht). Ad Att. XII, 23, 2. Cf. Ad Fam. IX, 10, 3. IX, 23. Ad Att. XII, 17 et 42, 3; Dolabella denique quae scripsit, Ad Fam. IX, 9, 1. Accedunt prope verba scribendi ac referendi, velut in illis: Velim ad me scribas certum (Gewisses, bestimmt), quo die mysteria futura sint. Ad Att. V, 21, 14. Tu tamen de Curtio ad me rescribe certius (Gewisseres). Ad Att. II, 5, 3. Itaque tum Cales processi, ut ibi potissimum consisterem, dum certum nobis ab Aesernia referretur. Ad Att. VIII, 11, D, 2. Cf. Ad Fam. XV, 1, 2. Ad Att. X, 2, 1. — Quo quidem in genere illud, de quo agitur, magis adverbii instar, ut ait Car. Beier (M. Tull. Cicer. Orat. fragm. p. 189), quam adverbium esse, quod statuit Frid. Hofmann (Ausgewählte Briefe etc. 1. Bändch. S. 208), vel numerus pluralis doceat Ad Att. V, 20, 9: 'Ut et diligentius perferantur et idem ad me certa de te et ad te referat' et XVI, 13, c, 1: 'Omnia igitur velim explicet et ad me certa mittas', quo accedunt, quae leguntur Ad Fam. XV, 1, 1 et 3, 2. — Similiterque illa ego dicta puto: Cui quidem ego non novum attuleram (keine Neuigkeit) de Tereo Accii. Ad Att. XVI, 5, 1. Haec ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres me non vulgare (Gewöhnliches, im gewöhnl.

tas. Ad Att. V, 18, 1.[1]) Pompeium pro certo habemus (Ich weiss für gewiss, so gut als gewiss) per Illyricum proficisci in Galliam. Ad Att. X, 6, 3.[2])

Adiungenda his videntur ex eiusdem verbi usu quaedam non tam referenda fere ad nuntiorum fidem quam ad rei cuiusque alio modo exploratam condicionem, velut haec: Quare velim ita statutum habeas (Sieh es als eine feststeh., ausgemachte Sache an), me tui memoriam cum summa benevolentia tenere. Ad Fam. VI, 2, 1. Et mehercule semper sic in animo habui (Ich habe immer den Gedanken gehegt) te in meo aere esse. Ad Fam. XIII, 62.[3]) Nos autem in libris habemus non modo consules a praetore, sed ne praetores quidem creari ius esse. Ad Att. IX, 9, 3. XX, die litteras habebat Germanos illasque nationes re audita de Caesare — legatos misisse ad Aurelium. Ad Att. XIV, 9, 3.[4]) — Brevius autem ac pressius

---

Stil) — scribere. Ad Fam. XIII, 69, 1; et quae sunt Caelii quidem verba, 'Nihil nisi triste cogitare', — 'Nihil nisi atrox et saevum cogitat'. Ad Fam. VIII, 16, 1. Ceteri autem libri Ciceronis illos maxime locos suppeditant similes: Or. pro P. Sulla 13, 38 (Nescire certum). Or. pro M. Aem. Scaur. 34 (Nondum certum constituerat, hatte es noch nicht zur Gewissheit erhoben). De part. Or. 10, 34 (certum declarat, ergiebt Gewissheit). Acad. II, 29, 92 (certum respondeamus). De Fato 6, 12 (certum ponitur). Rursus *falsum* similiter ibidem usurpatum, quod epistolae Ciceronis Ad Att. VII, 14, 2 modo habent (f. scribere), facile reperias, velut Acc. III, 53, 123 (f. scribere); II, 24, 77 (f. percipi). Or. pro Cn. Planc. 25, 62 (f. respondere, eine falsche Antw. geben). Or. pro L. Flacco 16, 37 (f. proferre, eine falsche Urkunde vorbringen, non, ut convertit Fr. C. Wolff: ein falsches [Siegel] vorbringen). De Or. II, 7, 30 (f. dicere, Unwahres sagen), De part. or. 14, 50 (f. fateri, ein f. Geständniss machen). Or. pro L. Flacco 34, 84 (f. intendere, eine f. Behaupt. aufstellen). De Off. III, 29, 108 (f. iurare, e. f. Eid schwören). Or. pro L. Flacco 21, 49 et Acc. II, 27, 66 (f. iudicare, e. f. Urtheil fällen), quem ad locum cf. Orell. Supplem. Annot. ad libr. II. Accus. p. 455. Acad. II, 25, 81 (f. videre). II, 21, 68 (assentiri quidquam aut falsum seqq.). De Nat. Deor. I, 1, 1 (f. sentire). De Sen. 2, 4 (f. putare).

[1]) Cf. Ad Att. III, 8, 1.

[2]) Cf. Ad Att. XIII, 6, 4. XVI, 1, 4. R. Klotz. l. l. s. v. *Habeo* Suet. Dom. c. 23 et Sallust. Cat. 52, 17 modo attulit.

[3]) Recte R. Klotz. l. l. s. v. *Animus* II, 1 (p. 412) illud seiungit ab iis locis, qui *in animo esse* ad voluntatis atque consilii significationem relatum habent.

[4]) Cf. Ad Fam. XI, 14, 3. Ad Att. V, 8, 2. VII, 23, 1. IX,

loquendi quendam facile morem reperias in iis, ubi quis expertus esse eadem vi, qua fere expertus scire, dicatur, quo quidem ex numero haec sunt: At in se expertus est illum esse minus exorabilem. Ad Att. I, 3, 3.[1]) — Nec recedat longius illud, si quis non certum scire, sed certus esse perhibetur, ut his: Certi sumus perisse omnia. Ad Att. II, 19, 5.[2]) — In simili denique ratione varie illa huc pertineant: Id ego in eam partem accepi, haec oppida atque oram maritimam illam pro derelicto habere. Ad Att. VIII, 1, 1.[3]) Considerare debes (Du musst in Betracht ziehen) nihil tibi esse committendum, quamobrem eorum, quos laudas, te non simillimum praebeas. Ad Fam. VI, 12, 5.[4]) Quotidieque meditere resistendum esse (Nimm die Nothwendigkeit in Ueberlegung u. s. w.) iracundiae. Ad Q. fr. I, 1, 13, 38.[5]) Egregie probo (sc. quod scripsisti, ich stimme dem ausnehmend bei) fore, ut, dum vagamur, ὁ πλοῦς ὡραῖος obrepat. Ad Att. IX, 7, 5. Quod quidem ita esse et avunculum tuum functum esse officio vehementissime probo (hat meinen lebhaftesten Beifall). Ad Att. III, 20, 1.[6]) Illud velim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi maiori curae sciam esse quam ipsi mihi. Ad Att. XVI, 6, 3. — Assentiris enim mihi nostram

---

14, 1. XII, 52, 1. Nec abest multum illud: Roma acceperam litteras seqq. Ad Att. V, 8, 2.

[1]) Cf. Ad Att. VI, 2. 2. Ad Fam. XIII, 16, 3. Idem tamen exstat Acc. II, 2, 5.

[2]) Vocabulorum indices A. Gellii fere auctoritate ad illum usum comprobandum utuntur.

[3]) Paulo plenius Dolabella scripsit: Sic haec accipias, ut — ab optimo certe animo ac deditissimo tibi et cogitata et scripta esse iudices. Ad Fam. IX, 9, 1.

[4]) Colum. XI, 2, 67, quem locum fere afferunt, alia verbi illius vis facile dignoscitur. Conferri tamen potest Cic. De Inf. I, 38, 69.

[5]) Plaut. Truc. pr. 5. modo affert R. Klotz. Ceteri fere omittunt illum usum. Verborum eorum, quae leguntur Acc. III, 81, 188, alia ratio est.

[6]) Minus presse dicta sunt haec: Illud non nimium probo, quod scribis — te tuis etiam legatis lictores ademisse. Ad Fam. XII, 30, 7. Aliter dicta sunt, quae leguntur Ad Att. VII, 2, 4. Acc. I, 4, 10. De Fin. III, 21, 70.

aetatem a castris praesertim civilibus abhorrere. Ad Att. XIV, 19, 1.[1])

Satis illud quoniam comprobatum videtur, insignem quandam cum verborum eximia saepe tenuitate coniunctam brevitate loquendi ita potissimum in epistolis Ciceronem esse sectatum, ut quam maxime tamen significanter atque enucleate quaeque pronuntiaret, non minus idem in eorum verborum usum cadere, quae ad declaranda animi sensa pertinent, demonstrandum videtur. Omitto autem equidem hoc loco ipsum loquendi verbum, quod quamvis sit in epistolis paulo licentius in eo genere, de quo iam agitur, frequentatum, tamen vel propter universam cum aliis ac vulgo[2]) sermocinandi consuetudinem facile se scribenti offerentem locum in iis habuerit crebrius. Sunt autem huc referenda primum ea verba, quorum notione vis ac potestas ipsa communicandi quidvis cum aliis exacuitur quodammodo vel amplificatur vel varie denique, quo quid vel gravius vel lenius vel severius vel remissius et si qua sunt similiter inter se comparanda, dicatur, huc illuc inflectitur. Ex quo numero haec fuerint: Intendere coepit ante se oportere discessionem facere quam consules. Ad Fam. I, 2, 2. Deinde habent in ore nos ingratos sc. esse. Ad Att. XIV, 22, 2. Ὑπόθεσιν (h. e. argumentum sermonis) autem hanc habent eamque prae se ferunt, clarissimum virum interfectum seqq. Ad Att. XIV, 22, 1. Itaque usurpavi vetus illud Drusi —, me istos liberos non addixisse. Ad Att. VII, 2, 8. C. Cato

[1]) Cf. Ad Fam. XII, 28, 1. Ad Att. XII, 5, 2. XIV, 19, 5. XV, 12, 1. XVI, 14, 1. Plenius illa dicta sunt De Or. I, 28, 126 (Illud vero, quod a te dictum est seqq.) et III, 48, 184 (Namque ego illud assentior Theophrasto, qui putat seqq.). Ceteri apud Ciceronem loci similes etiam ipsi fere dialogo ac disputatione continentur nec fere sine aliquo pronomine, quo quid quasi praemuniatur locutioni illi, ut De Or. I, 20, 91. II, 26, 227. II, 10, 39.

[2]) Cf. Ad Att. I, 5, 6. VII, 1, 8. XV, 19, 2. XVI, 2, 1. Ad Fam. XIII, 28, 1. — Ad Att. II, 5, 1. VI, 8, 2. XII, 47, 1. Nihil adiunctum est, quo verbi vis ulla ex parte circumscribatur Ad Fam. XII, 5, 1. Ad Att. IX, 14, 2. Plenius dictum est illud: Ornatissimeque de meo consulatu locutus est, ut ita diceret seqq. Ad Att. I, 14, 3; similisque locus est Or. Phil. IX, 4, 9. Cum genere illo comparari pos-

concionatus est se comitia habere non siturum. Ad Q. fr. II, 6, 6.[1]) Nam adhuc haec ἐσοφίζετο (machte sophistische Ausreden), se leges Caesaris probare. Ad Att. II, 16, 2. Etiam in senatu lusit (äusserte es sich spöttisch) Appium collegam propterea isse ad Caesarem, ut aliquem tribunatum auferret. Ad Q. fr. II, 15, 3.[2]) Furebat (Er tobte darüber) a Racilio se contumaciter urbaneque vexatum. Ad Q. fr. II, 1, 3.[3]) Iam vero Arrius consulatum sibi ereptum fremit. Ad Att. II, 7, 3.[4]) Quod autem altera epistola purgas te (dich damit entschuldigst) te non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanae fuisse seqq. Ad Fam. IX, 15, 3.[5])

In illa vero varietate verborum vel levissimae interdum eorum, quae dicenda essent, inter ipsa discrepantiae accommodanda Ciceronem id maxime spectasse, ut vim ac pondus adderet rei cuiusque significationi, inprimis illud comprobet sic frequentatum in epistolis[6]) recipiendi vel in se recipiendi verbum, ut promissio quaedam ac sponsio insignis ad exspectationem ac spem alterius cuiuspiam augendam adhibita videatur. Habet autem illud non accusativum, quem

---

sunt ex ceteris Ciceronis libris Act. in C. Verr. I, 7, 20; 9, 27. Acc. III, 57, 130; 62, 145; 64, 149. V, 30. 78. Or. pro Sex. Rosc. Am. 10, 28; pro P. Sulla 23, 65. Brut. 22, 86.

1) Minus presse illud est dictum: Cum in concione dicere ausus sit seqq. Ad Fam. XII, 23, 3.

2) Minus attenuate haec dicta sunt: Ipsa vero praecepta sic illudere solebat, ut ostenderet seqq. De Or. I, 19, 87.

3) Ad Att. XI, 9, 2. Caelius similiter locutus est Ad Fam. VIII, 14, 1. Plura fere ex eo genere, si discesseris ab uno, qui est extra epistolarum volumina, Ciceronis loco, Or. pro A. Cluent. 63, 177, suppeditant poëtae.

4) Cf. Ad Att. IV, 16, 9.

5) Paulo plenius illa dicuntur: Quintus frater purgat se multum per litteras et affirmat nihil a se cuiquam de te secus esse dictum. Ad Att. I, 19, 11.

6) Cf. G. Freund. l. l. s. v. *Recipio* (Vol. IV, p. 31). Ac fidei quidem obligandae vis quanta subiecta fuerit huic verbo, haec inprimis doceant: Quoniam de aestate polliceris vel potius recipis. Ad Att. XIII, 1, 2. Pansa quidem mihi, gravis homo et certus, non solum confirmavit, verum etiam recepit perceleriter se ablaturum diploma. Ad Fam. VI, 12, 3. Medium interpositum est idem illud inter *promittere* et *spondere* Or. Phil. V, 18, 51.

vis eius ac natura requirit, sed accusativum cum infinitivo vel per se ipsum vel cum cognatis vi ac potestate verbis copulatum his maxime locis adiunctum: Sed tamen separatim promitto in meque recipio fore eum tibi et voluptati et usui. Ad Fam. XIII, 10, 3.[1]) Sic enim recipiunt, Caesari non modo de conservanda, sed etiam de augenda mea dignitate, curae fore. Ad Att. XI, 6, 3. Omnino omnia se facturum recepit. Ad Att. V, 13, 2.[2]) — Dativum personae habent adiunctum haec: Mihi in Cumano diligentissime se, ut annui essemus, defensurum receperat. Ad Att. V, 17, 5.[3]) Accedunt singularia quaedam, velut: His autem in rebus iam te usus ipse profecto erudivit nequaquam satis esse ipsum has te habere virtutes. Ad Q. fr. I, 1, 3, 10.[4]) Et simul ostentavi tibi me istis esse familiarem. Ad Fam. IX, 6, 2. Quam quidem celo miseram me hoc timere. Ad Att. XI, 24, 2.[5])

Nec in eo verborum genere, quod ad nuntios perlatos pertinet significandos non agnoscas illam praecipue brevitatem, de qua saepius dictum est, siquidem simpliciter deferri, perferri, referri ea solent dici, quorum alias nuntii fere perhibentur huc illuc delati esse. Sunt ex eo numero haec: Multos esse arbitror, qui ad Caesarem detulerint delaturive sint me aut poenitere consilii mei, aut non probare quae fiant. Ad Att. XI, 7, 5.[6]) Ex litteris multorum et sermone omnium perfertur ad me incredibilem tuam virtutem

---

[1]) Cf. Ad Fam. V, 8, 5. XIII, 17, 3; 28, 3, ubi, Baiterus quod coniecit (id video in meque recipio), non displicet. XIII, 50, 2.

[2]) Similiter sunt locuti Plancus Ad Fam. X, 9, 1, Caecina Ad Fam. VI, 7, 4, ipse Cicero Or. pro Sex. Rosc. Am. 39, 114.

[3]) Cf. Ad Fam. XIII, 50, 2; 72, 1, Plancique quae sunt verba, Ad Fam. X, 17, 1. Praeisse videntur poëtae maxime comici, inprimis Plautus et Terentius.

[4]) Non recte fere vocabulorum indices habent unum locum illum, qui est Plin. N. H. XXXIII, 11, 53 (Erudita civitate amare seqq.).

[5]) Neutrum fere locum attingunt vocabulorum indices.

[6]) Cf. Ad Fam. II, 17, 6. III, 8, 2. f. IV, 3, 1. XIII, 24, 1. Ad Q. fr. I, 1, 13, 38, ubi nescio an ex interpretatione ortum sit putandum *dicere solent.* Non plane eiusdem sunt generis, quae leguntur Acc. I, 25, 64. V, 62, 160. Or. de imp. Cn. Pomp. 2, 4.

et fortitudinem esse. Ad Fam. XIV, 1, 1.[1]) Scribe, quaeso, quid referat Celer egisse Caesarem cum candidatis. Ad Att. XII, 8.[2]) — Nec multum ab hac similitudine abhorrent illa: Quare visum est occultius agendum neque ullo modo divulgandum de te iam esse perfectum. Ad Fam. VI, 12, 3.[3]) — Iam vero epistolarum ipsarum nuntiorumve vel missionem indicatam vel mentionem factam vel argumentum significatum quod interdum in pressiore illo sermone sic placuerit Ciceroni adhibere ad brevitatem tuendam, ut eximie concisa inde in eo genere, de quo disputatur, verborum conformatio exsisteret, minime mirum est. Comprobent quidem illud maxime haec: Caesonius ad me litteras misit Postumiam Sulpicii domum ad se venisse. Ad Att. XII, 11. Iis velim meo nomine reddendas litteras cures gratum mihi eos fecisse. Ad Att. XII, 17. Atque hoc tempore ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti rem illam suo periculo esse. Ad Att. VI, 1, 6. Allatae mihi Capua sunt litterae eum in Albano apud Curionem V. Kal. fore. Ad Att. IX, 15, 1.[4]) Misit enim puerum se ad me venire. Ad Att. X, 16, 5.[5]) Ad me misit se pudore deterritum ad me non venisse. Ad Att. X, 15, 3.[6]) Cum ad villam venissem, ventum

---

[1]) Cf. Ad Att. XVI, 8, 2. Similiter Caelius locutus est Ad Fam. VIII, 4, 1; 6, 1. Exstat apud Ciceronem alias locus similis Or. pro M. Font. 12, 26.

[2]) Cf. Ad Att. XV, 19, 1, ubi audiendum est *acturum in hac causa* vel simile quid. Vocabulorum indices fere Liv., Iustin., Nepot., Sueton., Ovid., Horat. neglecto Cicerone afferunt. Non commemorat aut illa verba aut id, cuius etiam latius patet usus similis, *afferre*, in Gramm. linguae lat. § 387, 1. Ferd. Schultz.

[3]) Caelius similiter dixit *dissipare* Ad Fam. VIII, 1, 4.

[4]) Cf. Ad Q. fr. III, 1, 6, 22. Ad Att. XII, 44, 4; 49, 1. Ad Fam. XV, 1, 2. Ad Att. IX, 12, 1; 14, 3. XI, 12, 1. s. f. XIV, 9, 3 in. XV, 9, 3. XVI, 9. VII, 24. VIII, 3, 7. Similia apud Ciceronem his modo locis, si ab epistolis discesseris, reperiantur: Acc. III, 52, 121. Or. pro A. Cluent. 8, 23.

[5]) Cf. Ad Fam. XV, 4, 5. Ad Att. XIV, 9, 3, s. f. Plenius interdum etiam in epistolis locutum esse Ciceronem Ad Fam. XV, 3, 1. XV, 4, 3. Ad Att. XVI, 8, 2 discas.

[6]) Cf. Ad Att. II, 2, 3. De mittendi verbo apud Livium in simili ratione frequentato cf. Guil. Weissenborn. ad Liv. VIII, 23. Inest

est ad me centuriones trium cohortium, quae Pompeiis sunt, me velle postridie (sc. convenire). Ad Att. X, 16, 4.[1])

Iam huic loco subiungenda etiam ea loquendi consuetudo epistolarum fere propria, qua *esse* verbum Cicero sic usurpat, ut *scriptum* addendum fuerit,[2]) plenius si vellet loqui, ut in his: Erat enim sic in tuis litteris, quas Arpini acceperam, eum venturum facturumque, quod ego vellem. Ad Att. X, 16, 1. Caesar ipse ad nos misit exemplum Paciaeci litterarum, in quo erat illas undecim esse legiones. Ad Fam. VI, 18, 2.[3])

Iam quoniam absolvimus quodammodo disputationem de verbis, ex dicendi notione quae nominari solent, eius quoque generis hoc loco quaedam possunt afferri, quod ad voluntatem fere significandam pertinet, non multa illa quidem numero, at satis accommodata ad comprobandum id, quod est propositum. Sunt eo referenda haec: Quod ego, dum — nostram gloriam augeri tua virtute expeto, feci non sapienter. Ad Q. fr. I, 1, 1, 2.[4]) Sed quum illum studio quam facillime

---

autem cognata quaedam illi, quae modo est tractata, brevitas ea, ubi *ut* vel *ne* ad consilium significandum subiicitur, velut his locis: Ad Fam. XIII, 1, 3. XIV, 3, 4. Ad Q. fr. I, 2, 3, 10. Ad Att. III, 8, 1. VI, 1, 6; 2, 9. XVI, 11, 6.

[1]) Additum est *qui nuntiaret* Ad Att. XV, 13, 4. Ipsum verbum, unde pendeat accus. cum infin., omissum est post interventus alicuius significationem ita, ut plane ellipsis existat Ad Q. fr. I, 2, 3, 10. Ad Att. XVI, 4, 1.

[2]) Est additum illud Ad Fam. III, 4. 1. VII, 5, 2. IX, 25, 3. Ad Q. fr. I, 2, 3, 10. II, 5, 1. Ad Att. I, 11, 2. IV, 6, 3. V, 18, 1. Ad Fam. I, 7, 1. Ad Att. XV, 5, 3. V, 21, 2. VI, 6, 3.

[3]) Cf. Ad Fam. X, 20, 2. VII, 23, 1. Ad Att. XI, 7, 2. XIV, 8, 1. XV, 14, 1. XIV, 6, 1. Alibi id genus scribendi fere repudiavit Cicero, si discesseris ab illis locis De Off. I, 19, 64 et Tusc. Disp. I, 2, 3, quamquam saepe ab eodem *est de, ut est apud* similiaque ad argumentum librorum disputationumve refertur, ut Tusc. Disp. I, 11, 24 (qui est de animo); III, 4, 8 (quae est de vita); 18, 42 (qui est de summo bono). De Off. II, 11, 40. Brut. 10, 42; 15, 58. De Off. I, 32, 118. Tusc. Disp. II, 4, 11. IV, 22, 49. Acad. I, 2, 7. Vocabulorum indices totum fere illum locum praetermittunt.

[4]) Infinitivus subiungitur Or. Phil. XII, 4, 9. Poëtarum illud esse dicit Guil. Freund. nec alios affert locos nisi a poëtis repetitos. Neque R. Klotz. illum usum non ad unos poëtas retulisse videtur.

ad suum pervenire, tum illud laboro, ut seqq. Ad Fam. XIII, 26, 4.[1]) Neque nos datis iam epistolis diem commutari curemus. Ad Q. fr. III, 1, 3, 8.[2]) — Ab hoc autem numero ea, quibus quid ad rem aliquam quadrare significatur, quum prope absint vi ac potestate, non videntur seiungenda, velut his locis: Omnino ad id, de quo dubito, pertinet (ist von Belang) me scire, quid Domitius acturus sit. Ad Att. VIII, 14, 3.[3]) Ne illud quidem non quantivis (ein Vortheil von allergrösster Bedeut.) subito, cum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci. Ad Fam. VI, 20, 1. Nam — illud nobis non obest, videri nostrum testimonium non valuisse. Ad Att. I, 16, 11.[4])

Restat, ut de iis verbis exponendum sit, quae pertinent ad animi quoslibet affectus significandos. Atque eius generis usus quamvis non late pateat is, qui unis maxime debeat epistolis Ciceronis attribui, tamen egregie quaedam doceant ne ea quidem ab illo spreta esse in hac scriptione, quae plane vel ex vulgaris sermonis consuetudine essent repetita, modo ea, quae vellet expromere de mentis suae sensu, vel gravius ac distinctius vel pressius posset dicere. Sunt autem ex eo numero nonnulla ad id genus referenda, in quo accusat. cum infinit. non est aptus ex uno verbo, sed ex locutione unius verbi vim fere auctam complectente,[5]) velut his locis: Accipiam equidem dolorem mihi illum irasci, sed multo maiorem non esse

---

[1]) Cf. Ad Fam. XIII, 19, 3. XV, 4, 3. Matius similiter locutus est Ad Fam. XI, 28, 2. Nec Cicero ipse illud alias plane sprevit, ut De Off. II, 20, 70. Poëtis tamen maxime fuisse probatum illum usum discas ab R. Klotz. l. l. Similia collegit Frid. Kritz. ad Sallust. Catil. I, 1.

[2]) R. Klotz. Iustin. II, 12, 2 tantum affert. G. Freund. plane praetermisit illum usum.

[3]) Proprium paene illud genus esse epistolarum haud sane pauca similiter dicta approbent. Cf. Ad Fam. I, 9, 25. XIII, 28, a, 2. Ad Att. I, 17, 4. I, 19, 5. IX, 3, 1. IX, 11, A, 3. XIV, 16, 4. Planci sunt verba ad Fam. X, 15, 1. Ex reliquis Ciceronis libris illud potest afferri Or. pro M. Marc. 9, 30. Non plane eiusdem generis sunt quae leguntur De Off. II, 19, 65.

[4]) G. Freund. et R. Klotz. Ovid. Fast. 4, 755. modo afferentes infinitivi tantum usum similem comprobare voluerint.

[5]) Attigit illud genus breviter M. Seyffertus ad Cicer. Lael. 24, 89.

eum talem, qualem putassem. Ad Att. VI, 1, 6. Incredibili sum dolore affectus tale ingenium in tam misera fortuna versari. Ad Att. XI, 17, 1. Mihi autem quo laetiora sunt, eo plus stomachi et molestiae est populum Romanum manus suas non in defendenda republica, sed in plaudendo consumere. Ad Att. XVI, 2, 3. Quod eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. Ad Att. V, 16, 5.[1])

Quam maxime vero verbi vel dolorem et indignationem vel laetitiam exquisitius designantis positione haec insignia fuerint: Subinvideo tibi ultra te etiam arcessitum ab eo, ad quem ceteri — adspirare non possent. Ad Fam. VII, 10, 1.[2]) Sed tamen nihil me magis sollicitabat quam in his molestiis non me — ridere tecum. Ad Fam. II, 12, 1. Per enim magni aestimo (Es ist mir sehr viel werth) tibi firmitudinem animi nostri et factum nostrum probari. Ad Att. X, 1. 1. Inprimisque me delectavit tantum studium bonorum in me exstitisse contra incredibilem contentionem clarissimi et potentissimi viri. Ad Fam. VII, 2, 2. Triumphabat Hortensius se vidisse tantum. Ad Att. I, 16, 4.[3]) Ipse conficior (Mich selbst reibt der Gedanke auf) venisse tempus, quum iam nec fortiter nec prudenter quidquam facere possim. Ad Att. X, 18, 3. Unum omnia posse dirumpuntur (bersten vor Verdruss). Ad Att. IV, 16, 10. Discrucior Sextilii fundum a verberone Curtilio possideri. Ad Att. XIV, 6, 1.[4])

Id denique genus accusativi cum infinitivo, quo quid fieri vel factum esse animi quadam commotione ab admirantibus vel indignantibus per exclamationem

---

[1]) Cf. Ad Fam. I, 5, a, 1. III, 10, 4. XIV, 11. Aliam interpretationem requirant haec: Et Piliam in idem genus morbi delapsam curam tibi afferre maiorem sentio. Ad Att. VII, 5, 1. Proxime accedunt ex aliis Ciceronis libris ea, quae leguntur Or. Phil. I, 6, 14. Brut. 40, 147.

[2]) Similiter locutus est Caelius Ad Fam. VIII, 4, 1 med. Vocabulorum indices eum usum fere praetermittunt.

[3]) Cf. Caesaris quae sunt verba, Ad Att. IX, 16, 2.

[4]) Cf. Caelii verba Ad Fam. VIII, 3, 1. Aliter ipse Cicero locutus est Or. pro Q. Rosc. Com. 11, 31 (Id cum tarde percipi videt, discruciatur.) et Or. in P. Vatin. 7, 16 (quem tu dirumperis, quum aedilicium vides.).

interrogationemve significatur ita, ut absit etiam, unde pendeat illud,[1]) ea quidem res prohibet maxime, quominus hoc loco plane praetermittam, quod in epistolarum illo conciso fere sermone atque incitato orationis cursu crebrius esse occasionem illud usurpandi vel oblatam vel arreptam, comparare si voles, facile cognoscas, praesertim ubi quid exclamationis quasi praemuniendi causa praemissum fuerit, ut his locis: Me miserum! te ista virtute, fide, probitate, humanitate in tantas aerumnas propter me indicisse! Ad Fam. XIV, 1, 1. O tempora! fore, cum dubitet Curtius consulatum petere! Ad Att. XII, 49, 1. Facinus indignum! epistolam *αὐθωρεὶ* tibi a Tribus Tabernis rescriptum ad tuas suavissimas epistolas neminem reddidisse! Ad Att. II, 13, 1. Hem mea lux, meum desiderium —! te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrimis et sordibus! Ad Fam. XIV, 2, 2. Hui! totiesne me litteras dedisse Romam, cum ad te nullas darem? Ad Att V, 11, 1.[2]) At magis etiam epistolis reservatum a Cicerone equidem dicam id ipsum genus, ubi animi commoti illa declaratio omni significatione careret vel ea, quae contineretur particula *ne* interrogationem indicante,[3]) sicut his locis: At te Romae non fore! Ad Att. V, 20, 7. Me non primum cum Pompeio qualicumque consilio uso, deinde cum bonis esse quamvis causa temere instituta! Ad Att. IX, 6, 4. Esse locum tam prope Romam, ubi multi sint, qui Vatinium nunquam viderint? Ad Att. II, 6, 2.[4])

---

[1]) De explicandi illius usus ratione cf. C. Benecke in Edit. M. Tullii Ciceronis Or. de imp. Cn. Pompeii ad c. 13, § 37, ubi comparatur illud genus loquendi cum accusativo substantivorum, quem in exclamationibus Latini usurpare solent.

[2]) Cf. Ad Att. XV, 9, 1. XI, 23, 3 et quae sunt Matii verba, Ad Fam. XI, 28, 3. Ex ceteris Ciceronis libris similiter dicta in promptu sunt haec: Or. pro Q. Rosc. Com. 1, 4. Phil. III, 7, 18. X, 4, 8. Acc. III, 62, 145. V, 6, 14.

[3]) Habent illam atque ita, ut pronomini vel cognatae alicui voci affixa sit, hi loci: Ad Att. IX, 13, 8. Or. pro Sex. Rosc. Am. 34, 95; pro A. Cluent. 31, 84; Phil. XIV, 5, 14. Brut. 61, 219. Tusc. Disp. I, 41, 98. De Div. II, 13, 30.

[4]) Cf. Ad Att. V, 15, 1. VI, 6, 3. VII, 2, 8 et 12, 3. IX, 10,

Iam restat, quoniam ea magis, quae praecipue, quam quae unice epistolarum sermoni Cicero quasi assignasse videretur, ad proprietatem illam illustrandam afferenda duxi, hoc fere unum, ut etiam id genus loquendi breviter attingendum sit, quo id, quod ad accusativum cum infinitivo subiecti loco vel simili quadam ratione intercedente sit referendum, adhibita praepositione *de* praecipiatur quodammodo. Ne tamen negligentiae eam verborum conformationem attribuendam esse existimemus omnem, apud Ciceronem ipsum in quavis scriptione reperiri talia reputandum est, unde, sic quum loqueretur, locutum esse diligentissime intelligas.[1]) Nihilo tamen secius in epistolis cuidam minus comptae orationi deberi videtur eadem illa licentia multo magis frequentata. Nec in transitionibus modo, quae in epistolis praepositionis *de* usu saepissime adiuvantur, Cicero orationem ita, ut diximus, conformavit, ut hoc loco: De Quinto fratre, scito eum non mediocriter laborare de versura. Ad Att. X, 15, 4;[2]) sed, ubicunque vim alicui voci addi volebat, minime est eandem illam licentiam aspernatus; ex eoque numero haec nunc satis fuerit attulisse: De me autem sic velim iudices, quantum ego possim, me tibi, saluti tuae liberisque tuis summo cum studio praesto semper futurum. Ad Fam. VI, 21, 3. Eratque rumor de Transpadanis, eos iussos IV viros creare. Ad Att. V, 2, 3. Tuus autem ille amicus —, de quo tu ad me scripsisti, posteaquam non auderet reprehendere, laudare coepisse, nos, ut ostendit, admodum diligit. Ad Att. I, 13, 4.[3])

3. XIII, 30, 1. XIV, 21, 3. XV, 20, 1. Caelius similiter locutus est Ad Fam. VIII, 17, 1. Ex ceteris libris ea modo, quae Or. Phil. V, 6, 16 et De Fin. IV, 27, 76 leguntur, ad illam similitudinem accedant.

1) Cf. praeter ceteros locos De Or. I, 58, 248. II, 1, 3. Brut. 28, 109; 45, 165. Tusc. Disp. IV, 22, 50. V, 20, 57, quo ipso loco eam consuetudinem loquendi G. Tischer. (Ed. III.) paucis illustravit.

2) Cf. Ad Att. VII, 5, 2. VII, 14, 3. XV, 1, 2. Ad Q. fr. I, 2, 4, 13. Accedunt prope Ad Fam. III, 8, 10. Ad Att. XII, 26, 2. Nec possunt non comparari quae leguntur Ad Fam. II, 17, 2 in. Ad Att. VI, 1, 21 in.

3) Cf. Ad Fam. III, 10, 1 s. f. V, 8, 3. X, 20, 1. I, 9, 16 med. Ad Q. fr. II, 2, 3 in. Ad Att. I, 12, 2. VII, 12, 6 s. f. IV,

Iam totam hanc commentationem, quoniam absolvisse fere videor, quod fuit propositum, quominus concludam, officit quidem non solum in eo genere, de quo modo diximus, verum aliis quoque plurimis locis praecipue in epistolis a Cicerone frequentata infinitivi praetermissio. At eam tamen rem hoc tempore non tam ob hanc causam, quod multi iam varie eandem attigerunt,[1]) quam quod ellipsis omnino usus, qualis sit proprius epistolarum maxime Ciceronis, propter locorum vel numerum vel dissimilitudinem, ne huius scriptionis terminos egrediar, singulari cuidam quaestioni reservandus est, sic liceat breviter perstringere, ut ad comprobandam modo eam, quae intra accusativum cum infinitivo praetermittendi infinitivi agnoscatur licentia, pauca afferam. Ac primum quidem verbum *esse* paulo liberius quam alias vel ipsum per se vel cum ea, quam universa cuiusque loci sententia concedat, attributione praetermitti in epistolis ex his appareat: Illa fefellerunt, facilem quod putaramus sc. fore. Ad Att. IX, 18, 1. At ille adiurans nusquam se unquam libentius sc. fuisse. Ad Fam. IX, 19, 1. De Caesaris adventu, scripsit ad me Balbus non ante Kalendas Sextiles sc. futurum. Ad Att. XIII, 21, 6. Sunt, qui etiam Caesonium putent sc. competitorem esse. Ad Att. I, 1, 1.[2])

15, 3 f. Ad Att. XIII, 21, 6. *A quo* pro *de quo* Ad Fam. V, 20, 1 dictum esse recte negavit Hand. in Turs. Vol. I. p. 57. Ad Fam. II, 16, 6. sic verba coniungenda sunt, ut *de quo* et *ita esse* inter se connexa sint. Illustravit paucis totum illum locum Ferd. Schultz. in Gramm. linguae lat. § 387. Annot. 5. Ab accusativo autem cum infinitivo si discesseris, similiter Ciceronem locutum esse his locis reperias Ad Att. X, 4, 8 (De Hispaniis non dubitabat, quin Caesaris essent.) Ad Fam. XII, 30, 5 (De Lucceio nihil tibi concedo, quo studiosior eius sis.). Cf. Ad Att. III, 7, 3. III, 14, 1. V, 21, 2. VI, 9, 3. VII, 15, 2. XIV, 8, 2.

[1]) De verbi omnino in epistolis Ciceronis praetermissione cf. Frid. Hofmann.: Ausg. Briefe Ciceros, 1. Bdchn. S. 159; 205. Dr. K. W. Piderit: Cic. Brutus de claris oratoribus. S. 106.

[2]) Cf. Ad Att. VIII, 3, 7 (Ecce litterae Caesarem ad Corfinium). XIV, 1, 1 (Affirmabatque minus diebus XX, tumultum Gallicum.). XIII, 30, 2 (Sed in eius epistola nihil erat novi nisi auctionem biduum.). XVI, 1, 4. VI, 1, 16 s. f. Matii verba leguntur Ad Att. IX, 15, A, ad quem locum l. l. p. 185 paucis eum usum illustravit Frid. Hofmann. Non huc pertinet illud: 'Sperare melius' Ad Att. XVI, 7, 8, quod potius est

Proxime sine dubio accedit praetermissio eorum verborum, in quibus inest veniendi vel eundi vis ac potestas, praesertim si qua vel temporis vel loci significatio de ea dubitare non sinat, ut in his: Quintus enim altero die se aiebat sc. perventurum (Romam) esse. Ad Att. XVI, 4, 1. Dolabella scribit se ad me postridie sc. venturum esse. Ad Att. XIII, 47, 1. Quod Tullia te non putabat hoc tempore ex Italia sc. abiturum esse. Ad Att. X, 8, 10. — Puto utrumque ad aquas sc. profectum esse. Ad Fam. XVI, 24, 2.[1])

Nec tamen, quodcumque verbum aut ex iis, quae quis antea attigerit, vel ipsum vel ita, ut cognatum quoddam in eius locum cogitando substituatur, aut ex omni rerum condicione, de qua agatur, possit repeti, non praetermitti interdum licentius haec satis doceant: Itane nuntiat Brutus, illum ad bonos viros sc. rediturum? Ad Att. XIII, 40, 1. Atticam doleo tamdiu sc. aegrotare. Ad Att. XII, 6, 4.[2]) De duobus primis praeclare disseruit; de tertio pollicetur se deinceps sc. scripturum. Ad Att. XVI, 11, 4. Oratorem meum — Sabino tuo commendavi. Natio me hominis impulit, ut ei recte putarem sc. me commendare. Ad Fam. XV, 20, 1.[3]) Miror te nihildum cum Tigellio sc. locutum esse. Ad Att. XIII, 50, 3.[4]) Nec mirabar

---

comparandum cum locis huiusmodi: 'Speroque meliora' Ad Att. XIV, 15, 3, 'Melius exspectans' Ad Fam. VI, 6, 1, 'Exclamare maius' Tusc. Disp. II, 24, 56.

[1]) Cf. Ad Att. XIII, 30, 2 (Quem quidem negat Eros hodie. Cras mane putat.). XVI. 7, 5 (Me existimari ad Olympia.) II, 1, 5 (Ex Sicilia septimo die Romam.). XI, 22, 2 (Qui se negant usquam, nisi acceperit.). Cognatum est, quod legitur Ad Att. XI, 19, 2 in.

[2]) Cf. Ad Att. XIV, 4 in. XVI, 11, 2 (quod eum ter contra cives in acie.). XV, 21, 2 (Quinto scripsisti te ad eum litteras; nemo attulerat.). XI, 21 f. (Scripsi ad te antea eum statim Quinto filio omnia tribuisse; nostri nullam mentionem.).

[3]) Ad Att. X, 15, 3 (Allienus autem praetor putabat aliquem.). XIV, 14, 1 (Quamquam satis scio nisi improbum neminem.). X, 16, 4. Ad Fam. IX, 18, 4.

[4]) Idem illud verbum vel cognatum quoddam audiendum est Ad Att. II, 22, 2 (Aiebat illum primo sane diu multa contra.). Ad Fam. XI, 21, 1 (Quid? tu illum tecum solum aut cum Caesare?). Ad Q. fr. III, 1, 5, 17 (Oppium miror quidquam cum Publio.) Infinitivum eiusdem verbi per se ipsum haud minus frequenter praetermissum esse facile cog-

nihil a te litterarum sc. ad nos missum esse. Ad Fam. XVI, 7.[1]) Illud accuso, non te, sed illam, ne salutem, quidem sc. adscripsisse. Ad Att. XIII, 22, 5.[2]) Video te bona perdidisse; spero idem istuc familiares tuos sc. passos esse. Ad. Fam. IX, 18, 4. Quid autem se refert Brutus sc. acturum in hac causa? Ad Att. XV, 19, 1.

Extremum est, ut etiam haec, si quando in existimantium arbitrium venerint, sic omnium iudicio ac benevolentiae commendata velim, ut nihil ultra quidem, quam sim ego professus, requirant. Id autem quam maxime teneant, nunquam me aut voluisse aut potuisse id operam dare, ut verbis ac nominibus comprehendens infinitam illam eandemque incredibili quodam lepore ac suavitate conditam ac vix cuiquam mente plane percipiendam, nedum certis distributionis cuiusdam terminis circumscribendam varietatem sermonis, qualis est epistolarum Ciceronianarum propria, omni ex parte persequerer vel discentibus arte ac praeceptis adstrictam universam traderem. Nihil enim aliud mihi, id quod saepius dico, vel ab initio fuit propositum, nisi hoc, ut locis quibusdam insignibus ex uberrima comparandi facultate et copia delectis paulo distinctius, quam esset adhuc factum, demonstrarem non magis debere omnia, quae sibi concessa in epistolarum sermone Cicero statuisset, cum ceteris scribendi generibus quam illa inter se ipsa temere confundi et permisceri.

---

noscas. Cf. Ad Fam. VII, 3, 6 (Haec tecum coram malueram.). V, 21, 2 (Sed et haec et multa alia coram brevi tempore licebit.). Ad Att. VII, 3, 2 (Utrumque vero agi simul non potest, et de triumpho ambitiose et de republica libere.). XIII, 21, 2 (Quid possum de Torquato, nisi aliquid a Dolabella?). Nonnulla eius generis, at promiscue ex epistolis Ciceronis attulit Frid. Hofmann. in Ed. select. Cicer. epistol. p. 159; 185; 205. Verbi omnino in iisdem praetermissionem attigit breviter C. G. Piderit. in Ed. Bruti Cicer. ad c. 40, 149.

[1]) Cf. Ad Att. XIII, 41, 1 (Dixi illum commodas ad matrem litteras, ad te nullas.).

[2]) Cf. Ad Att. XVI, 1, 6 (Quintus filius mihi pollicetur se Catonem sc. futurum vel imitaturum.).